Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

KW 183 M36

LAUS ULULÆ

AD

Conſcriptos Ululantium
Patres & Patronos.

Authore

CURTIO JAELE.

Editio ſecunda, priori multò auctior & emendatior.



Proſtat

GLAUCOPOLI,

Apud Cæſium Nyctimenium:

In platea Ulularia, ſub ſig

Uladislai Regis Poloni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Noctua blanda veni, dulceſq; venite Patroni:
Magnus honor vobis contribuendus erit.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

LECTORI
Feſtivo Salutem.

ANtiquitatem jocis & ſalibus mirum in modum affectã fuiſſe, vel ſoli Athenienſes, diſciplinarum omnium principes, illuſtri ſunt documento. Quis enim Atticos ſales, Atticos lepôres, Atticam Suadam, Atticam Venerem ignorat? Quorum ſanè AVEM SACRAM, & in ſummis deliciis habitam, abſq; deliciis & facetiis emittere fas non erat. Pennis igitur plaudentibus evolat, lepidisque plumis, at propriis, decorata ſe ſiſtit; non quidem tetricis illis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Cenſoribus, quibus ſemper triſtis ſeveritas ineſt in voltu: ſed iis, qui, ſtudiorum rerumque ſeriarum pertæſi, ſubinde animum fatigatum facetiarum venuſtate refocillant. Graviora tractantibus moleſta non erit: licet ſeria nonnunquam ſub ludicra ſpecie oſtentet; ut una eademque opera, quicquid utile habeat, cognoſci poſſit. Quæ tamen ſingula ad limam mordaciorem, vel, ſi DIs placet, ad INQUISITIONEM HISPANICAM revocari non expetit. Quis enim furor eſt, ad Tribunal tale nos ſiſtere? Cùm igitur à natura ipſa ad ludum jocumque facta ſit, ſine quibus vita hominum vix conſiſtere poteſt, recreationis cauſa ſe ſuis Patronis contem-

plan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

plandam exhibet. Si verò hîc quicquam cuiquam jure fraudi offenſionivè fuerit, παλινάγρετον ἔςω. Præſagit enim animus, non omnibus lectu vel auditu grata fore, quæ nobis jucunda dictu fuere. Vale Benevole Lector, & quando Phœnices regio noſtra non fert, ULULAM tibi commendatam habe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ AUTHORIS

Ad

VLVLAM

Et

ULULANTES PATRONOS.

ALes Minervæ, Noctua ſacrum genus,
Dum miror & ſecreta rimor ardua,
Quæ nomini vetuſtas conſecrat tuo;
Inominata cur me nocte provocas
Clamore perſonante per cubiculum?
Expendo mecũ, quare, cum volucribus
Lepôre, forma, laude præſtes cæteris,
Tamen miſella vivas illaudabilis.
Siniſtra vulgus quæ putavit omina
Docebo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Docebo, dixi, interpretari dexterè.
Opinione nititur præpoſtera,
Quicquid ſibi de te perſuaſit hactenus
Mortalis ac implumis illa natio.
Virtutibus certè tuis incognita es,
Incogniti nec ullus eſt amor boni.
Illuſtris ergo faxo ut vivas omnibus,
Cum debitis te dividam præconiis,
Et gloriam vulgabo nominis tui;
Tuis Patronis quam libenter offero.
Vos ergo, Patres inclyti, veſtræ viam
Parate jam volucrum feſtiviſſimæ,
Ululæque veſtræ infamiam repellite,
Et veritati ſponte cuncta credite.
Hoc vos Alumna veſtra ſeriò rogat;
Ut poſſit inter eminere compares,
Suumque ſibi defendere in cœlo locum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

LAUS
ULULÆ
Ad
Conſcriptos Ululantium Patres & Patrōnos.

DEprædicaturus ULULÆ Encomium, Patres Conſcripti, id proprio ſuo omine aggrediar: Quod felix fauſtumq; ſemper extitiſſe Antiquitas Athenienſium exempl o prodidit, vulgatumque inde per totam Græciam proverbium, ΓΛΑΥΞ ΙΠΤΑΤΟ, id eſt, NOCTUA VOLAVIT, ſi quando ex animi ſententia inſtituta & actiones eorum ceſſiſſent.

Memorat Plutarchus in vita Peri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

clis, illi è ſuperiori navis tabulato concionanti Ululam ad dextram advolaſſe, & malo inſediſſe; quo omine omnes permoti continuò ipſi aſſenſerint. Idem in celeberrima hujus Avis commendatione mihi promitto, quam non ad adulationem (hanc enim ferre non poteſt) ſed veram ejus laudem inſtituo; ubi ſimul à contemptu, cui hactenus apud noſtros expoſita fuit, eam vindicabo.

Nec dubito, quin Ululæ laudes multis gratiſſimæ ſint futuræ, cum ejus naturæ multi ſimiles hodie inveniantur: Ex ſententia verò Ariſtotelis, Philoſophorum facilè Principis, ſit ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, (*a*) pareſque cum paribus facillimè congregentur.

Hîc verò, ut Ululæ φερωνυμία (*b*) intelligatur, à *Nominis* impoſitione mihi inchoandum eſſe arbitror, quippe quæ ad noſtræ volucris notitiam

---

(a) *ſimile ſimili amicum.* (b) *Convenientia nominis cum re.*

tiam plurimum facit. Nam ut rectè Clemens Alexandrinus ait (*a*); Δύο εἰσὶν ἰδέαι τῆς ἀληθείας, τά τ' ὀνόματα, καὶ τὰ πράγματα (*b*); ita principio de *nomine*, de *re* deinceps agendum erit.

Plurimos verò heic hallucinatos eſſe conſtat. Qui enim vocis ULULÆ originem arceſſunt ab Hebræo אלה (*c*) ejuſdem cum אלהים (*d*) radicis, meo quidem judicio falluntur. Quid enim אלה (*e*) aliud ſignificat quàm *jurare, pejerare, execrari?* Hinc Ululam dictam volunt, forſan quod non juret. Atqui non abſimili ratione à ridendo poterit dici, nunquam enim ridet. Nam quod de ſignificatione hujus vocis Chaldaica afferunt, quæ *ejulare* deſignat, accommodum id quidem, ſed nimis quæſitum, quum hoc ſignificatu in

(a) *lib. 6. ſtromat.* (b) *Duæ ſunt ideæ veritatis, nomina & res.* (c) *alah.* (d) *Elohim.* (e) *alah.*

in textu Hebræo ſit *ἅπαξ λεγόμενον*. (*a*).

In eo rum potius partem concedam, qui id nominis à radice ילל (*b*) derivant, unde הילִיל (*c*) *Vlulare & ejulare*, qui ſonus huic animanti eſt proprius, quamvis varium quoque edat, ut omnes orbis linguas æquè callere videatur. Nam ULULU, unde *Vlulare*; CUCUHU, unde *cucubare*; & TUTUHU, unde Plautinum TUTU, & Heſychianum ΤΥΤΩ ad quam, quæſo, linguam ſolam quis referet? Voces profectò omnes ferè ſimiles iis, quibus homines frigore rigentes exclamare ſolent, aut alta voce Bacchi *Elelei* inſtar ejulare.

Ad hanc porro originem Græcorum ὀλολύζειν, Latinorum *Vlulare* & *Ejulare*, quin & noſtrum huylen referenda ſunt: Quod mirum merito cenſeri debet, ſonum illum in omnibus & ſingu-

(a) *vox quæ ſemel tantum occurrit*, *ut Ioel* 1. 8. (b) *jalal*. (c) *hælil in Hiphil*.

ſingulis linguis originalibus eundem & invariatum manſiſſe, quod quidem ſoli SACCO peculiare hactenus creditum fuit. (a) Boni nempe hoc affectus indicium eſt, quem apud vos, Patres & Patroni Ululantes, nunc quoque eundem erga ſe eſſe, & deinceps permanſurum confidit.

Ecce verò, quam proximum ſit hominum ingenio hoc animal, quod hominum vocem & lamentationem exprimere novit; licet Alcibiades hoc nomine lyram rejecerit, quod vocem hominis imitaretur (b). Nemo tamen Ululam propterea rejiciendam putet. Nam & Ululatus paſſim apud Oratores & Poëtas hominibus tribuitur. Sic Eloquentiæ Romanæ parens de quodam ait, quod *ululanti voce canere cœpiſſet*. Lucanus vero homines ait

——*lætis ululare triumphis*.

Et

(a) *Vide Wilh. Schickhardi Horolog. Hebr. de harmonia originum.* (b) *Eraſm. in Apopb. lib. 5.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Et Virgilius de Bacchabus;

Aſt aliæ tremulis ululatibus æthera complent.

Item

—*fœmineis ululant plangoribus ædes.*

Miræ verò hoc ſagacitatis eſt in hac noſtra, vocem, cantum, planctum & fletum humanum imitari. unde quis non videt, hanc ſolam propriè & proximè ad naturam hominum accedere,

Doctam imitatricem & veras hinc ducere voces?

Non equidem ſum neſcius, Platonem (*a*) & Ariſtotelem (*b*) *Hyænam* æquè humanam aſſerere, eo quod *ſonum, imò & vomitum humanum aſſimilare ſoleat.* Verum enimvero hunc proprium & naturalem cum noſtra non habet, ſed asſcititium, in deplorandam hominum perniciem confictum. Iidem, enim authores ſunt, hoc animal *vocem humanam inter paſtorum ſtabula effin-*

(a) *lib.* 8. *Hiſtor. nat. cap.* 30. (b) *lib.* 6. *hiſt. anim. cap.* 32.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

effingere, imò & nomen alicujus addiſcere, ut eum foras evocatum dilaniet, vomitionemque hominis imitari ad ſollicitandos canes, quos invadat (*a*). Hæc verò noſtra ſonum, quem edit, naturalem habet, eumque ſemper & ubique immutatum retinet abſque ulla hominis læſione aut detrimento, ut quamvis tantum non homo ſit, tamen nihil humani à ſe alienum putet.

Interea vos deprecor, Patroni, ne tàm inhumani ſitis, ut eundem hunc ſonum amplius *lupinum* eſſe dicatis, proptetea quod *cum lupis ululandum* eſſe dicimus. Credite, precario ad imitationem alumnæ veſtræ lupis id tribui. An verò adeo rudes eſtis in creationis hiſtoria, ut neſciatis Ululam ante lupum creatam fuiſſe? Jam verò abſurdum vobis videri non debet, juxta ſeriem rerum conditarum animantibus nomina impoſita fuiſſe, atque eo quo creata fuerunt ordine ad accipien-

(a) *ibidem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

piendum ſuum nomen ſingula ve-niſse.

Sed & hoc mecum recognoſcite, ſi (quod quidam volunt) altera argumentatione ſonus prius quàm nomen extitit, & pleræque avium, quæ ex Arca diluvij poſt primam corvi emiſſionem evolarunt, à ſono nomen habuerunt; à cuculando cuculus, à picando pica, à cornicando cornix, à gruendo grus, à bubulando bubo, à butiendo butio, à grillando grillus, à popiſſando upupa, à pipiendo pipio; ſimiliter ab Ululando Ululæ nomen obtigerit. Quod ei maximè honorificum eſſe cenſendum eſt, non minus quàm aliis olim glorioſum fuit à riſu (a) cognominari, ſic huic noſtræ ab ejulatu.

Notat

(a) *ut,* יצחק *Iitzchak à* צחק *riſit :* γελάσινος *à* γελάω *rideo. Fuit & Gelon Siciliæ rex, quem Dionyſius* γέλωτα, *id eſt, riſum eſſe dicebat, ut ſcribit Plutarchus in Dione.*

Notat Buxtorffius (*a*), Ululam à voce reſonante יענה (*b*) dictam eſſe. Neque planè eam notationem rejiciendam putabitis, Patres Conſcripti; talem enim profert ſonum, qui eodem momento duplicatur, triplicatur, ſæpiuſque iteratur, atque miro quodam reflexu repercutitur,

Qualis Iö Arethuſa, Iö Arethuſa vocanti.

Quid verò Echo ſuavius, quid auribus gratius, quidve jucundius eſſe poteſt? cum hæc inexpertes in maximam ſui admirationem rapiat, ſæpiuſque conſiſtere ac ſtudioſè auſcultare faciat, ut in Narciſſo ſuo pridem demonſtravit Naſo (*c*).

Ad dignitatem hujus nominis accedit & illud, quod ab eo dictæ ſint ULUBRÆ, civitas Italiæ Uluſis frequentiſſima, nativitate quondam & edu-

(a) *in Lex. Hebr. & Chal. voce* ענה:
(b) *Iahaneh.* (c) 3. *Metamorph. fab.* 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

educatione Cæſaris Auguſti clara. Quis enim neſcit illud Horatii?

Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æquus. (*a*).

Nec video, cur Petronius Arbiter magis triumphet in ſuo *Carpo*, quam nos in Ulula noſtra. Audite enim & ridete mecum divini viri argutias. *Ad Carpum*, inquit, *qui dicit Carpe, eodem verbo & vocat & imperat*: Ita nos majore elegantia & minore moleſtia *Ulula* dicimus, cum vocamus & imperamus ſcilicet.

Quinimo ſi Anagrammatiſmo hic ludere licebit, hæc noſtra voce Hebræa הללו Allelu, id eſt, *laudate*, ſeipſam vocabit, & imperabit laudem ſuam: magis concinne profectò, quàm ſunt nonnullorum Patrum ridiculæ ejuſdem vocis expoſitiones, ſi quando cum Jah componitur; quas, niſi Ululæ noſtræ cauſſa, nunquam commemorarem hîc. Hieronymus, Alle, id eſt,

(a) *lib.* 1. *Epiſt.* 2. *vide Porphyr. ad h. l.*

id eſt, creatura, LU, laudat, JAH, Dominum. Ambroſius verò, ALLE, id eſt, Lux, LU, id eſt, virtus. JAH, id eſt, vita. Auguſtinus, ALLE, ſalva, LU me, JAH, Domine. Gregorius denique, ALLE, id eſt, Pater, LU, Filius, JAH, Spiritus Sanctus (*a*). Quibus tamen ob allegorias, queis intenti erant, nonnihil condonandum cenſebitis.

Sed majora erunt, quæ dicturi ſumus. Si enim Grammaticorum, Rabbinorum & Sanctorum Patrum more vocis ULULÆ Elementa excuſſerimus, atque è ſingulis literis vocem deductam ad laudem ipſius retulerimus, myſterio id certè non carebit; in quo tamen Oedipodem verſari opus non erit. Divinate enim ſi poteſtis: Sed divinandi moleſtiam vobis præripiam, Vos aures arrigite. Prima in voce ULULA litera denotat

(a) *Inveni in M. SS. Abavi mei, qui hujus vocis interpretationes è Patribus collegit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

tat *Volucrem*, Secunda *Lepidam*, Tertia *Veram*, Quarta *Laudem*, Quinta *Avium:* ut ita ULULA ſit VOLUCRIS LEPIDA, VERAQUE LAUS AVIUM. Quod elogium in frontiſpicio commendationis ponendum eſſe, ſi quis veſtrum, P. C. urgeat, non refragabor.

Verumtamen, quemadmodum non unum nomen Veneri eſt, ita nec Minervæ, nec, ſi verum fateri volumus, Avi quoque noſtræ. NOCTUÆ enim nomine apud Latinos eam indigitari, nemo eſt qui neſciat, idque à *noctis*, quo volat, vel canit, tempore. Unde & Græcis Νυκτικόραξ, ſicut nobis Nacht-uyl/ & Nacht-rave dicitur.

Cauſſam adferunt Naturæ Conſulti duplicem, *Glaucorem* oculorum unam, unde Γλαὺξ Græcis appellatur, propter quem interdiu videre parum aut nihil poſſit. Cæſios enim de die obſcuriores, in tenebris verò clariores

riores oculos habere conſtat è magno illo naturæ rimatore Plinio. (*a*).

Hunc verò glaucorem non tantum cum equis & leonibus, quibus vitrei, id eſt, glauci oculi tribuuntur, quos **Glas-oogen** vocamus; verum etjam cum ſua ſibi Minerva communem habet: quæ proinde Heſiodæo & Homerico Epitheto Γλαυκῶπις Ἀθήνη, *cæſia Minerva*, vel, ut alii reddunt, *Glaucocula*, inſignitur, ob oculos cæſios, quibus paſſim decoratur. Et hæc eſt illa, cui mundus cum cœli terræq; applauſu volucrem hanc noſtram perpetuò dicavit, dedicavit (*b*).

At quæ Dea! Omnibus profectò Diis & Deabus ſapientior, ipſo Jove teſte & veritate.

(c) *Olim quas vellent eſſe in tutela ſua*
Divi legerunt arbores: Quercus
Iovi

Et

(a) *hiſt. natur. lib.* 11. *cap.* 32. (b.) *Vide Suidam.* (c) *in fabellis Phædri.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Et myrtus Veneri placuit, Phœb[o] laurea,
Pinus Cibelæ, populus celſa Herculi.
Minerva admirans, quare ſteriles ſu[m]merent,
Interrogavit; cauſam dixit Jupiter:
Honore fructum ne videamur vendere.
At me hercule narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructus eſt gratior.
Tum ſic Deorum genitor atque hominum ſator:
O Nata, meritò ſapiens dicere omnibus:
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Nec mirum, ſi vel ipſo Patre ſuo ſapientior ſit. Nam ex ipſo Sapientiæ loco nata eſt, cum è cerebro Jovis, per ſecurim Vulcani aperto, armata proſiliit (*a*). Quamobrem non Sapientiæ modo & artium ſed armorum quoque Dea & Domina habetur.

Et

(a) *Lucianus in Dialogo Vulcani & Iovis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Et ſi Grammatici non planè cæcutiunt, cum Cæſarem à cæſiis oculis derivant, certè Ululæ noſtræ compar erit tantus Monarcha Julius, ejuſque ſucceſſor Auguſtus, quorum uterque cæſios habuit, (*a*) ut quemadmodum in naſis aduncis hactenus Cæſarem, ita in oculis Ululam agnoſcatis.

Quanto verò in pretio ſint Equi γλαυκῶπες, vix opus eſt percenſere, cum cuivis veſtrum abſque dubio notum ſit, tales ſingularibus immunitatibus & privilegiis gaudere, etiamque in ipſo Codano ſinu (ubi pretia vectigalium à Dano ſæpiſſimè accenduntur in belli materiam) liberos tranatare.

Quod ſi tamen Ulula noſtra pro glaucis oculis alios alioſvè haberet, tamen nihilominus de die cæcutiret. Nam aliam adhuc cauſſam adducunt Phyſici noſtri, cur interdiu non videat, *Siccam* nimirum *& tenuem humoris ſubſtantiam in oculis noctuinis, quæ ad igneam*

B *diei*

(a) *Plin, lib.* 11. *cap.* 32.

diei lucem diſſipatur & extinguitur (*a*) planè ut ſydera langueſcunt & obfuſcantur præſente Sole.

Præterea ut ſæpe magna inter homines & aves cognatio affinitasq; fuit, ita hominum ſæpè vitia, quamvis immeritò, Ululis aſſcripta fuerunt; ſicut olim cum *Nyctimene* peccaſſet, noctuæ illud aſſcriptũ eſt: atque propterea (*b*).

Conſpectum lucemque fugit, tenebriſq;
pudorem,
Celat. — — —

Solo ergo pudore ſic quoque non videt Ulula interdiu; qua in re, Patres, videtis pietatem & verecundiam hujus alumnę veſtræ, quæ eos longè ſuperat, quorum vultus nuſpiam pudoris ſignum indicat. Noſtra verò veſtraque etiam ita alieno crimine erubeſcit, ut ipſo meridie videre nequeat.

Quicquid ſit, hoc certè negari non poteſt, viſu eam de die parum pollere, cum *Ululæ interdiu hebetes ſint oculi*, quæ ſunt

(a) *Ionſton. Thaumatogr. natur. in admir. avium, cap.* 24. (b) *Ovid. lib.* 2. *Metam.*

ſunt ipſa Æliani verba. (*a*) Neque contemnendæ ſunt rationes, quas è Phyſicorum mente hactenus retulimus. Hinc verò colligere non licet, eam eſſe laternam abſque lumine, aut obſcurum Cyclopis corpus effoſſo oculo, ut Demades de exercitu Alexandri mortui dicere ſolitus fuit. Bono animo ſitis, Patres & Patroni: Alumna veſtra Ales *Noctivida* eſt, quo uno nomine Martianus Capella omnem ei honorem reſtituit. Sic enim viſus nocturnus diurnam debilitatem compenſat, quo acutiori prædita eſt

Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurus.

Ut non tantum nocte illuſtri, ſed & illuni tenebriſque denſiſſimis Lyncea ſit & perſpicaciſſima, Euſtathio teſte, prædita fulgentibus & radiantibus oculis

—— nocturnæ lampadis inſtar:

Quicquid in contrariam blateret.

(a) *de nat. anim, lib. 3. cap. 9.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Creſcant (a), qui ob defectum medii, aëris videlicet, à Sole vel Luna illuſtrati illam vix videre poſſe arguit. At id ordinarium in hominibus & cæteris animalibus eſſe ſciat, à quo hæc noſtra ob aliam & diverſam oculorum conſtitutionem naturaliter excipitur, cujus viſionem tunc ſola radiorum emiſſione fieri non tam veriſimile quam certum eſt, cum & Avicenna teſtetur (b) *lumen tantum exigi propter objectum, non propter medium*.

Non igitur noctu lumine opus habet, non candela, non lychno, quæ noctem illuminent: Ipſa ſibi in tenebris lux eſt & lumen. Sic primam naturæ originem ſequitur, cum ex tenebris lux emicuit, primigenia Dei filia. Atque hac in parte iis hominibus felicior eſt, quos Plinius Nyctilopas appellat (c) eoſque de die quidem videre poſſe, noctu tamen planè luſcio-

(a) *lib.* 10. *cap.* 15. (b) *lib.* 6. *natur. part.* 3. *cap.* 1. (c) *lib.* 8. *cap.* 50.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

luſcioſos & cæcos eſſe aſſeverat; aut quos alii in urbe Cimmeriorum referunt inter Antipodas, Λυχνοβίȣς, id eſt, *Lucernarios*, qui noctes vigilant, dies dormiunt.

Agite verò Patres, annon hoc reſpectu eam omnibus hominibus fortunatiorem diceretis, qui lucis nocturno tempore indigi ſunt, ſi quid operari, ſtudiiſvè incumbere velint? paucis forſan ab hac regula exceptis, veluti Tiberio Cæſare, & utroque illo Scaligero. Narrant de *Tiberio*, *fuiſſe eum prægrandibus oculis, & qui, quod mirum eſt, in tenebris etiam viderent, ſed ad breve, & cum primum è ſomno patuiſſent* (*a*). Noſtra verò pertinaciter per totam noctem clarè videt. De *Scaligeris* autem, & nocturno eorum viſu omnes jam credunt præter Schoppios, nempè *Scaligeri in profundo noctis ut alii in crepuſculo videbant*,

 (*a*) neque

(a) *Vide Suetonium in Tiberio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

(*a*) neque tamen omni hora nec omni ætate(*b*): Ulula verò nocte tota, quanta quanta etiam ſit, etiam illa credo, qua Hercules natus eſt, cernit; nec mirum ſi etiam in tenebris illis Ægypriacis videre potuit; licèt Judaica non eſſet.

Cui verò hoc datum non eſt, ei tamen luce & lucerna opus eſt. Hinc *lucubrationum* nomen extitit, quia hæ ad lucernam fieri ſolent, quibus plus olei quàm vini ſæpe abſumitur; ut de Demoſthene refertur. Celebre enim eſt Pytheæ dictum, orationes ejus τὸν λύχνον ὀζειν (*c*) quod noctu meditaretur & ſcriberet, quæ de die dicturus eſſet. De Noctium verò Atticarum opere teſtatur AGellius (*d*) id inde à ſe fuiſſe appellatum, quod hybernis noctibus in Attico agro fuit elaboratum. Quantos vero ſumptus

(a) *Vide Epiſtolam de gente Scaligera* (b) *ibid.*
(c) *olere lucernam, vide Plutarch. & Ælian.*
(d) *cap. ult. totius operis.*

ſumptus ad continuas lucubrationes veſtras, Patroni mei, impendatis ſæpe, quarum præmia vix ſumptus præli redimere poſſunt, hoc potiſſimum tempore, quo oleum & ſebum ad immane pretium excreverunt, pro veſtra ſapientia Oeconomica, non ſine magno damno intelligitis. O ergo eximiam Ululæ prærogativam, quæ propterea quod *Noctua* eſt, nocturnis his ſumptibus non indiget! Quod & Elementa in nomine ſingula non abſque myſterio rurſus exprimunt. NOCTUA enim eſt, NOCTU OMNIA CERNENS TENEBROSA VISU ACUTO: Ita

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Ex his videtis, Conſcripti Ululantium Patres, quàm varius ac nihilominus haud ingratus ſit Naturæ ordo, quo præſertim volucres diſpoſuit, ut non modo certum oculis ſuis tempus, verum etiam linguis aſſignaverit, ut eſſent, quæ ſicut omni tempore viderent, ita & canerent. *Galli* antelucano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

lucano, *hirundines* matutino, *cicadæ* meridiano, *ululæ* veſpertino, *bubones* nocturno cantu : ſic iſta animalia vario tempore varioque modo inter ſe occinunt. *Galli* expergifico, *bubones* gemulo, *ululæ* rigido, *cicadæ* obſtrepero, *hirundines* arguto.

Neque verò nocturnæ hæ aves diurnis propterea ſunt poſtponendæ. Quænam quæſo ex avium hoc genere *Luſciniam* ſuperat, parvum quidem animalculum, ſed vocale, & quod Muſica mirum in modum afficitur: nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur, revocatur, infuſcatur ex inopinato; interdum ſecum murmurat, exſurgit deinde voce plena, gravi, acuta, celeri, tremula. Breviter, quicquid ubique muſicum & tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit, tam parvulis in faucibus & digitali habetis corpuſculo. Hæc vero noctu pręcipue modulatur, unde **Nachtegael**

tegael appellatur, dictaque Luſcinia eſt, quod canat ante lucem. Quanta verò etiam in æſtimatione habeantur *Cicindellæ & Lampyrides* (a) cui veſtrum notum non eſt? Hæc verò inſecta noctu tantum lucent & apparent. Quis autem adeò demens eſt, ut *Lunam* vituperet, quod noctu ſolummodo luceat? Sunt vices temporum, ſunt & rerum varietates: cuilibet creaturę, ut vivendi ſic & operandi tempus eſt aſſignatum. Quinimo ipſi Athenienſes in honorem Palladis ejuſq; volucris *de noctu & in opaco*, ut ſcribit Cicero, (b) *ſacra ſua peragere conſueverunt*. Etiam ipſam Venerem (ne ſemper in ſapientia hæreamus extra lectum) Venerem, inquam, ipſam Νυκτιλαμπὴν, Noctilucam & Noctivigilam appellarunt,

— quia nempe crepuſcula diligit illa;
Poſtponens tenebris Phœbũ callida lunæ.

De *Patria* Ululæ, P.C. tantum hic non pugnabimus, quantum de Nomine

(a) *de quibus Plinius lib.* 11. *cap.* 28. & *lib.* 18. *cap.* 26. (b) *lib.* 2. *de legg.*

neque tantum etiam, quantum olim ſeptem Urbes de patria Homeri certarunt.

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν
Ὁμήρου:
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφῶν, Σαλαμὶν,
Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι. (a)

Id enim in confeſſo eſt, PATRIAM Ululæ eſſe TOTUM HOC UNIVERSUM, paucis forte-an locis exceptis; ideoque ad particularem aliquem locum, ubi tantum naſcatur, alligari nequit, in hoc Socrati omnium hominum ſui ævi ſapientiſſimo (b) non diſſimilis, qui, ut Cicero refert, interrogatus, cujatem ſe eſſe diceret, Κοσμοπολίτην; ſeu mundanum reſpondit. Totius enim mundi ſe incolam & civem arbitrabatur. Nec minus Diogeni abſimilis, qui rogatus,

ποδαπὸς

(a) Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri, Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argus, Athenæ, (b) Laërt. in ejus vita.

ποδαπὸς εἴη; παντοδαπός εἰμι, inquit. Hanc vero Patriæ tam vaſtæ & diffuſæ laudem Oratorum more amplificare, quid aliud foret, quàm cum Auguſto Cæſare totum terrarum orbem deſcribere (*a*)?

Habitationes verò diverſas, & ſedes, etſi fixas, varias tamen ſibi eligendas cenſuit, unoque potius quàm alio gaudet loco. Authores ſunt Plinius & Ælianus. *In Creta inſula eam non naſci, nec vivere advectam, imò ſi Cretam tantùm viderit, emori.* (*b*). Verum judicate mecum, Patres Ululantes, quid ageret apud eam gentem, quæ inter ΤΡΙΑ ΚΑΠΠΑ ΚΑΚΙΣΤΑ quartum locum habet.

Καππάδοκες, Κᾶρες, Κίλικες, τρία
κάππα κάκιστα (*c*)

Κρῆτες (*d*) addite, qui ob nativa ſua vitia,

(a) *Luc.* 2. *v.* 1. (b) *Plin. lib.* 10. *cap.* 29. *Ælian. de nat. anim. lib.* 5. *cap.* 2. (c) *Cappadoces, Cares, Cilices, tria peſſima Cappa.* (d) *Cretes ſeu Cretenſes.*

vitia, nequitiam, mendacium, libidinem, luxuriam, prætereo cætera, peſſimè ſemper audivere, quos ipſe Gentium Doctor ob hæc flagitia graviter coarguit è proprio ipſorum Poëta Epimenide (*a*).

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦςαι, κακὰ θηεία, γαςέρες ἀργαί. Id eſt,

Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter obeſus.

additque, ne quis veſtrum dubitet, teſtimonium hoc eſſe verum (*b*). Inde enim eſt, quod Græci κρητίζειν pro *mentiri & imponere* dixerunt, quia illi falsò jactabant, apud ſe Jovis eſſe ſepulchrum.

—— Καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο. σὺ δ' ὀ θάνες,
ἐσσὶ γὰρ αἰεί (*a*).

Atqui

(a) *Tit. l.* 12. (b) *verſu ſeq.* (c) *Callimachi verba ad Iovem in hymno ſuo* Cretenſes ſepulchrum tuum, ô Rex, ſtruxerunt: Tu verò non moreris, ſed ſemper permanes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Atqui ab his vitiis hæc noſtra planè immunis eſt. Hanc igitur inſulam vitandam ſibi eſſe, haud abſque ratione exiſtimavit, potius verò ἐν μακάρων νήσοισι (a) commorari ſuſtinet: multis ſane hominibus hac in parte ſapientior, qui malorum conſortia non ſatis vitant, nec fugiunt. Quod ſi feciſſet infelix ille caupo Bilèveldenſis, cum ſuo conſortio ad patibulum non iviſſet (b). Neque exiguum inde fructum noſtra reportat. Nam

Σοφοῖς ὁμιλῶν κ᾽αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός·

Sicut contrà

Κακοῖς ὁμιλῶν κ᾽αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός (c).

Bellonius tamen aſſerit, *Caprimulgum* (quem quidam Ululæ ſpeciē perperam eſſe volunt: eo quod teſtimonio Ari-

---

(a) *in beatorum inſulis.* (b) *Alludit ad proverbium noſtrum*, met de Weert van Bylevelt nae de Galge ſlenderen. (c) *Qui cum ſapientibus converſatur, ipſe ſapiens evadet. Qui cum malis, ipſe malus evadet.*

ſtotelis (*a*) parum interdiu videat, noctu verò perſpicax ſit) *tam horribilem in Creta vocem edere, ut terrorem incutiat incolis.* Unde hoc ſaltem genus Ululæ ibi degere aliquis veſtrum colligeret. At hic nullam plane ſimilitudinem cum Ulula gerit, qui major eſt, & capras noctu emulget, unde & nomen accepit (*b*). Quis verò hoc de ulla Ulularum cohorte legit vel audivit unquam?

Faceſſant igitur à nobis, Patres & Patroni ululantes, hæc abſurda, ac potius expendamus, quid celebris ille Naturæ Myſtes Plinius de Ululæ habitatione prodiderit: *Eam*, videlicet, *in Alpibus nunquam cerni.* Id quod ob cibi inopiam, nivium copiam & frigus immenſum fieri exiſtimaverim. Tam aridis enim, deſertis, frigidiſque locis, quæ primus tantum Hercules, aut alter Hannibal igne & aceto vix ſupe-

(a) *Hiſt. anim. lib*, 9. *cap*. 30. (b) *Plin. lib*. 10. *cap*. 40.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ſuperare potuit, (c) ſe ſuſtentare minime poteſt, eoque ut alia & commodiora loca peteret, ſua intereſſe exiſtimavit, quibus ad votum & vitam ſibi ſuiſque proſpicere, & quam longiſſime ab omni frigore verſari poſſet. Quo ſibi, meo quidem judicio, optimè conſuluit. Quem enim non locum homines ſibi ad commodam vitæ ſuſtentationem eligunt? Quoties domicilia ſua cum teſtudine tranſportant, aut cum Scythis tranſvectant, alioque commigrant, ne fame aut inedia perire cogantur?

Nec quiſquam eſt tam ingenio duro,
nec tam firmo pectore,
Quin ubi quicquam occaſionis ſit, ſibi
faciat benè.

Sed hîc imprimis mirari poteſtis, Patres, mirum Ululæ judicium, quod inter cętera regna & provincias GRÆCIAM elegerit, matrem illam omnis eruditionis & ſcientiæ, ubi civis & inquilina

(a) *Vide Plutarch. in Hannib.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

quilina celeberrimæ regionis *Atti*[*cæ*] facta eſt, in qua maximam Ulularu[m] copiam fuiſſe, paſſim decantatum eſt. Civitatem verò famoſiſſimam *Athe*[-] *nienſium* tanquam ſedem regiam ſib[i] affectavit, eoque ſuas colonias traduxit

——— *non inferiora ſecuta.*

Unde in proverbium abiit, ΓΛΑΥ-ΚΑΣ ΑΘΗΝΑΖΕ, NOCTU-AS ATHENAS; At quam regionem & urbem! Cujus ſemper magnæ fuerunt vires & grande nominis decus, quam Tullius *Mercaturam literarum* nominat. Auguſtinus verò clariſſimus Hipponenſium Præſul, *Matrem & nutricem liberalium diſciplinarum, & tot tantorumque Philoſophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius* (*a*). Urbem profectò ob eloquentiam, ſcientiam, ſapientiam, gravitatem, juſtitiam, cœlo quam terræ propiorem, ut Plinius (*b*) ſuo tempore pro-

(a) *de Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 9. (b) *lib.* 4. *c.* 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

pronuntiarit : *Athenas indigas ullius præconii amplius eſſe,tanta claritate ſuperfluere.* Hîc, hîc, inquam, Ululæ certas & imperatorias ſibi fixerunt ſedes. Neque enim earum abundantiam ipſis moleſtam fuiſſe cenſendum eſt, ſicut paſſerum, cornicum, hirundinum, aliarumvè obſtreperarum avium copiam, quas ſub eodem tecto ob garrulitatem non habendas eſſe rectè monuit antiquitas, aut ſicut Iſraëlitis ſues interdictæ, aut ipſi Iſraëlitæ Ægyptiis abominabiles fuere,eorumque augmentum meritò ſuſpectum (*a*).

Quid quod magis miremini, contubernio Ulularum Athenienſes tanquam hominum concivium & in præliis προμαχόντων delectati ſunt, earumq; volatum certum victoriæ ſignum ſtatuerunt (*b*), eò quod Minervæ ſacratæ eſſent, quæ malè conſulta Athenienſiũ, tanquam civitatis Præſes, benè fortunare,& in bonos exitus vertere ſolebat.

Ob

(a) *Exod.* 1. (b) *teſte Suida & Zenedoto.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Ob quod beneficium Athenienſe
ſuis numiſmatis aureis & argenteis a
una parte faciem Minervæ, ab alter
noctuæ habuerunt inſculptam, cuju
facetè meminit ſervus, qui Domini ſu
furtum ἀινιγματικῶς indicans, *Multas ſub tegulis* (ait) *cubare noctuas*: oſtendens illic abditas pecunias noctuis inſignitas (*a*). Ad quod alludens Ariſtophanes, (*b*) his verbis Athenienſes alloquitur.

Γλαῦκες ὑμᾶς οὔποτ᾽ ἀπολείψουσι
λαυρεωτικαὶ,
Ἀλλ᾽ ἐνοικήσουσιν ἐνδὸν ἔν τε τοῖς
βαλαντίοις
Ἐννεοττεύσουσι.

Si omnes veſtri tam Græci eſſent, non opus foret, Patres, me Latinum adjungere. Sed quia vos veſtrique ſæpiſſimè peſſimo exemplo ἀνέλληνες eſtis, rem vobis gratam faciam, ſi Latinum hic fecero Ariſtophanem.

Noctua

(a) *Plutar. in Lyſandro.* (b) *in Avibus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Noctuæ vos non relinquent Laureo-
ticæ: (a)
Sed hæ ædibus erunt in ipſis, inque lo-
culis
Nidulos ſibi parabunt.

Porrò autem nummus Jove inſignitus ἡμιδράχμιον (b) erat: Ulula verò & Minerva inſulptus, τετράδραχμον. (b) Tantò major Ululina pecunia Joviali erat; contrà ac apud nos fit, ubi præ nimia, eheu, ſtultitia inter aſſes ululina capita rejicimus, & aquilina probamus, quaſi aquilæ meliores Ululis eſſent.

Atque utinam, quod ſæpe precatus ſum, tanto in honore ſaltem nobis eſſet Ulula, quàm fuit Athenienſibus, iis inprimis, qui ſolebant finitimos & indigenas è ſedibus ſuis propellere, Ululas verò libenter admittere. Quis enim neſciat illud, Αττικὸς πάροικος, *Atticus advena?* Quo alludit Ariſtoteles.

(a) *Erat Lauros Atticæ regio, auri venis abundans.* (b) *ſemidrachma.* (c) *quatuor drachmæ.*

teles dum inquit (a) ἔνιαι τῶν παρ-
μιῶν, καὶ γνῶμαι ἐισιν οἷον μαρτυρί-
Ἀττικὸς πάροικος (b). Qui igitur
homines adventantes crudeles, in Ul-
las advolantes benigni fuerunt. E
enim hoſpitio ſuo exceperunt & civ-
tate donarunt. Quid verò glorioſi
olim fuit, quàm florente Græcia voca
Græcum? & ſtantibus Athenis di
civem Atticum? Sicut nihil honorif
centius fuit, quàm florente Roma Ro
manum vocari. Hunc ergo titulum
Ululæ ſibi vindicant, qui fœminis A-
thenienſium negatus fuit, *publico* qui-
dem *eorum interdicto, ne quis eas Ἀθη-
ναίας vocaret*, ut ex Varrone refert Au-
guſtinus (c).

Illud verò memorabile in S. Codi-
ce eſt, Deum Babylonios è ſedibus ſuis
expuliſſe & Ulularum colonias in eo-
rum regnum introduxiſſe, quibus ipſo-
rum

(a) *lib.* 3. *Rhetor.* (b) *Nonnulla proverbia ſunt & ſententiæ tanquam teſtimonia* (*ut*) *Atticus advena.* (c) *lib.* 18. *de Civit. Deì. cap.* 9.

m hominum domicilia inhabitanda edit (*a*) quæ laus humanum ultra fa- igium aſſurgit, Monarchiam primam b hominibus ad Ululas derivatam ſſe. In hiſce igitur terminis, in quos antum juris habent, incolunt nemo- a, cavernas, domos deſolatas, conval- es ſaxoſas, loca petroſa, arbores exca- vatas, & ſalices inprimis vetuſtate collabentes. Ibi illæ proſperè degunt. Etenim juxta Flaccum,

——— Licet ſub paupere tecto,
Reges & regũ vita præcurrere amicos.

Melior vero hæc eſt, quam Diogenis Cynici habitatio, quem in dolio degiſſe narrat Laërtius (*b*).

Diogenes, cui pera penus, cui dolia ſedes (*c*).

Sed ut poſtea Monarchiæ aliorſum tranſlatæ ſunt, ita cum ipſis quoque Ululæ: à Chaldæis enim ad Perſas & Medos (ad aquas credo אולי ULAI

à Perſis

(a) *Ieſa.* 13. 21. *Ierem.* 50. 39. (b) *in vit. philoſ. lib.* 6. (c) *Auſon. in Epitaph. Herounm.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

(*a*) à Perſis ad Græcos ſuos, à Græcis ad Romanos iverunt, & poſtquam totus orbis Romanus fuit, Ululæ quoque paſſim diſperſæ ſunt, ut ipſa Germania tam ſuperior quàm inferior Ululis repleta ſit: Ex qua ſeptem hactenus Provinciæ noſtræ, quod gratulandum eſt nobis, ſatis feraces ſunt. Πάντα γλαυκῶν πλήρη. (*b*) Hinc autem illas abigere, ut in exilium à vobis mittere immiſericordia foret maxima. Vivant nobiſcum, Patres, feliciter, quamdiu earum ſtirps ſuperare poteſt.

Sic *Patriam*, ſic *Habitationem*, ſic *Civitatem* ad id peculiariter ſelectam habetis. Mirum, ni animus quoque veſter cognoſcere geſtiat, Alumnæ veſtræ ORTUM ET GENERATIONEM.

Quæ genus, unde domo?

De antiquiſſima ejus Origine nihil aut parum jam dicam. Ante homines

---

(a) *Daniel.* 8. 2. (b) *Vlularum plena ſunt omnia.*

es enim, & primum humani generis parentem extitit: quinetiam ante omnium Deorum Dearumque Gentilium primordia,. quorum Catalogum Heſiodus ante bis mille annos texuit in *Θεογονίᾳ*.

Quiſnam vero in prima creatione ejus fuerit Ortus, id vero multum diuque diſceptatum fuit, cum alij ex *aqua*, alij è *terra* volucres eſſe dicerent. Nam ex *aëre* & *igne* ullum vivens productum eſſe veſtrum quis credat? Quod fieri poſſe negat Philoſophorum Coryphæus Ariſtot. (*a*) Quanquam Plinius (*b*) *in Cypri ærariis fornacibus quoddam pennatum quadrupes naſci, vivere, & inde evolare* aſſeveret.

Quicquid ſit, hoc extra controverſiam pono hanc noſtram ex *igne* ortum ſuum non habere, neque cum Pyrauſta & Salamandro in eo vivere poſſe. E ſolo verò *aëre* quicquam propigni

Neque

(a) *lib*. 4. *Meteor. cap*. 4. (b) *lib*. 11. *cap*. 36.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Neque uſquam fictum, neque pictum, neque ſcriptum in poematis.

Qui igitur ex *aqua* aves productas eſſe ſuſtinebant, adduxerunt locum ex hiſtoria Creationis (*a*), *Abunde progignunto aquæ reptilia animantia, & volucres volanto ſuper terram.* Qui verò poſteriorem tuebantur ſententiam, pro ſe habuerunt verba ſequentia (*b*): *Formavit Deus è terra omnes beſtias agri omneſque volucres cœli.* Quam nos libenter amplectimur. Neque enim dixit Deus, *Progignunto* aquæ volucres, ut de reptilibus animalibus dixerat, ſed tantum, volucres *Volanto* ſuper terram: quod potius ſententiam noſtram confirmat quàm deſtruit, cùm ſit ſenſus; *Emergant è terra, prodeantque in cœlum liberum volatura* (*a*).

Verum hæc *Creationis* ſunt arcana, Patres, quæ vel ipſam Minervam excedunt. PROCREATIONEM verò quod

(a) *Geneſ.* 1.20. (b) *Gen.* 2. 19. (c) *Vide Iunium in cap.* 1. *Geneſ.*

quod attinet, ut Ab Ovo, quod dicitur, rem arceſſamus, tenendum, ordinariam Ululę generationem eſſe Ex Ovo, è quo omnes præter primigeniam veluti ex equo Trojano prodierunt.

Quæcunque ubique ſunt, fuere, quæq; futura ſunt poſthac,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis,

Ovo originem ſuam debent. Quanquam ſint, qui negent ovum ululinum dari, digni certè qui putidis lapidentur ovis, vel abſorbeant cum ovo pullum. Experientia ſtultorum magiſtra manifeſto id comprobat, & vos, Patres, ſæpius mecum tale ovum inſtar columbini candidum veſtris oculis vidiſtis, manibuſque contrectaſtis. Pluris ergo ſit apud nos teſtis oculatus unus, quam auriti ex adverſa parte decem.

Hîc vero mihi vetus illa & inter Philoſophos tantoperè vexata Quæſtio incidit, *Utrum Ulula an Ovum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

prius extiterit? Sanè ex ovo Ulula eſt & ex Ulula ovum. Miraculoſa res! Nam ſi Ovum ante Ululam, unde Ovum? Si Ulula ante Ovum, unde Ulula? An utrumque utriuſque principium eſt? An ſine principio utrumque procreatum eſt? Plutarchus ſanè (*a*), & Macrobius (*b*) de hoc prolixe egerunt. At vobis hanc controverſiam ſolvere difficile non erit, ne Numen ex Ulula faciatis, aut ab æterno eam reciprocè cum ovo derivetis. Auguſtinus verò vah quam turpiter hîc ſe dedit! Hac enim præpoſtera opinione deluſus, terram & aquam non ἐνεργείᾳ ſed δυνάμει (*c*) produxiſſe ea quæ jubebantur, eorum placitum amplexus eſt, qui *Ovum* prius quam *Avem* eſſe voluerunt. At contra diſertiſſima verba Moſis, qui animalia ipſa integra & perfecta in ſingulis individuis prius à Deo condita eſſe docet, poſtea

(a) *in Sympoſiacis.* (b) *lib.7. Saturnal.* (c) *actu ſed potentia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

poſtea verò eorum propagationem ſuo tempore à ſingulis pro ſpecie cujuſlibet editam fuiſſe. Ulula ergo, o prodigium! ante ovum extitit.

Cum autem ex ovo venit, progignitur non infauſto illo Galli gallinacei, è quo Baſiliſcus prodit (*a*) ſed ſuo, ſed fauſto, ſed utili; ejusdem cum Caſtore & Polluce originis, qui ex ovo Ledeo, ſeu Tyndareo provenerunt, quod verè δίδυμον (*b*) fuit, & geminum luteum ſub una teſta habuit: niſi quis adeo inſaniat cum Antiquis, ut ſtatuat

——triplex Helenes cum fratribus Ovum (*c*).

Quicquid ſit, ſimplex an geminum fuerit, Gemini ex eo procreati fuerunt. Et Pauſanias (*d*) refert, *oſtendi apud Lacedæmonios ſuſpenſum tæniis à teſtudine templi.* Fauſtum vero hoc fuit ovum

(a) *Vide Levin. Lemn. lib.* 4. *de occult. nat. mirac.* & *Pincierum lib.* 3. *ænigm.*22. (b) *geminum.* (c) *Auſon. in Grypho numeri ternarii.* (d) *in Laconicis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

& mortalibus quoque vehementer utile. Niſi enim hoc fuiſſet, Geminorum ſidus in Cœlo non haberemus tam dextrum & propitium in navigatione, nec ipſe Paulus navem habuiſſet Alexandrinam, cui Caſtoris & Pollucis inſigne erat, quo Romam veheretur (*a*). Tales ergo ac tantos originis ſuæ ſocios, Patres Conſcripti, habet Ulula, non homines amplius, ſed Deos ipſos, *Ovo*, ut ille ait, *prognatos eodem*.

Quanquam Natura peculiare quippiam in hujus noſtræ generatione moliatur, ut diverſum à reliquis volucribus ex ovo ortum habeat, cum apud Plinium legamus (*b*), *Hylam tradidiſſe, Noctuam à cauda de ovo exire, quoniam pondere capitum perverſa ova poſteriorem capitis partem matri fovendam applicet*. Sanè ſi quicquam aliud, hoc vere eſt ὕϛερον πρότερον (*c*) naſci, prius nates, inde caput exerere & in exclu-

(a) *Act.* 28. 11. (b) *lib.* 10. *cap.* 16. (c) *inverſo ordine*.

excluſione proferre: quod in poſterioribus Analyticis tanquam res ſtupenda, & miraculo proxima annotandum fuiſſet. Neque enim Cancros tota vita retrogrados hac Methodo primam lucem aſpicere certum eſt: Tametſi inter *homines* nonnullos quoque fuiſſe Plinius (*a*) commemoret, *quibus in naſcendo, non caput ſed pedes primum exivere*. Idque *Agripparum* & aliorum exemplo probat, quos eo argumento *Agrippas*, id eſt, *ægrè partos*, vocatos fuiſſe conjicit (*b*).

Quot verò hîc ô ulula noſtra habes ſodales! qui id ſibi laudi ducunt, cum præpoſterè in mundo res ſuas agunt, & in lecto veſperi pedes reponunt ad cervical, manè verò tibias prius è ſtragulis quam naſum elevant; in diſciplinis vero & linguis addiſcendis nates ſæpè obvertunt capiti, finemque mediis: imò quod Ariſtoteles medius fidius defleat, multi perverſiſſime ævum in

(a) *lib. 7. cap. 8.* (b) *ibid.*

in ſola Methodo conſumunt, neglecta interim tota Methodi anima & vita Philoſophantium: quod maximè deteſtandũ eſt. Sunt, qui ὕστερον πρότερον ad extremum moriuntur, & præclarum illum ſpiritum per poſteriora emittunt, ut Arrius inteſtina olim evomuit. Quæ omnia à nulla magiſtra melius tanti diſcipuli diſcere potuerunt, quàm ab Ulula noſtra. O magna Pallas, quantum eſt diſcipulum habere docilem!

Porro de Ululino hoc ovo Philoſtratus rem certè prodigioſam narrat: *Obſervandum eſſe, ubi loci niduletur noctua, deinde ova ſubducenda, eaque mediocriter cocta infanti comedenda. Quod ſi quid ex his ederit, priuſquam deguſtavit vinum, implantatum ei mox eſſe vini odium, adeò ut in omnem vitam quàm maximè ſobrius ſit futurus.* Hæc ille. Neque hanc virtutem ſolummodo in infantibus & pueris, verum etiam Phyſicorum & Medicorum teſtimonio in ipſis quoque adultis & ebrioſis exerit,

exerit, (*a*) *quibus ova hæc ululina per triduum in vino data tædium ejus inferunt planè ut iis qui è Clitorio fonte biberunt, vini faſtidium oboritur* (*b*). Qui fit ergò, Patres, ut tam multi hoc ſeculo neſciant iſta, aut improbe comtemnant? Quotuſquiſque enim dignè æſtimat hanc avem? aut ejus ortum & cunabula conſiderat? aut temperantiam hanc ſibi applicat? Quid cauſſæ cenſetis? Non aliam, quàm quod populis utriuſque Germaniæ vitium Ebrietatis quaſi congenitum eſt, (ut infra dicetur) cui hæc noſtra etiam in ipſis cunis & primis initiis repugnat.

Cæterum (quod felix fauſtumque ſit Sacroſanctæ veterum *Enneadi*) (*c*) ne omnes Ululas, ut ſunt ejuſdem ex ovo Originis, ejuſdem quoque nobilitatis eſſe putetis; notandum eſt, NOVEM eſſe volucris hujus noſtræ genera, quorum

(a) *Vide Ionſton. in admirand. avium cap.* 24. *è Plinio.* (b) *Plin. lib.* 31. *cap.* 2. (c) *id eſt, numero novenario.*

rum unum, licet alio nobilius ſit, omnia tamen digna ſunt quæ memorentur, & præcipua ex illis excutiantur.

Ac primò quidem de numero magis mirari ſoleo, quia rarius eſt in Avitio genere, Ἐννεαπλάσιον εἶναι. (a) Sunt quidem, fateor, qui *Falconibus* æquè magnificè novem genera aſſcribunt, ac Ululis. Sed videant, ne rem incertam numero tàm certo definiant, quàm novæ nuptæ primum ſuum partum ſolent. Medicos quoque rem peſſimam *Febrim*, quia varia & multiplex eſt, in novem ſpecies diſpeſcere ajunt; quod quàm verum ſit, alii in Æſculapii fano judicent. Nos Ululis ſua genera cum nominibus aſſerimus, ut Græcia *Muſis*. (b) Et quia maximam partem in Belgica noſtra viſuntur, Patres, nec omnia apud antiquos reperiuntur, Belgica vobis aptior nomenclatura erit. Steen-uylen / Kat-

(a) *Novenarium eſſe.* (b) *Græci novem Muſas finxerunt. Vide Heſiod. in Theogon.*

Kat-uylen / Gans-uylen / Kerck-uylen / Oor-uylen/ Wout-uylen/ Nacht-uylen/ Velt-uylen/ Veen-uylen. Novem, ſi DIS placet, præclara nomina, & ſtirpes, quibus Pallas veſtra magis decoratur, quàm novem iſtis Pimpleis (*a*) virgunculis, quæ (quod nulla unquam Ulula credat) dicere non erubeſcunt:

> ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύ-
> μοισιν ὁμοῖα.
> ἴδμεν δ' εὖτ' ἐθέλωμεν ἀληθέα
> μυθήσασθαι h. e.
> *Mentiri ſcimus permulta ſimillima*
> *veris,*
> *Si libeat rurſus, ſcimus quoque vera*
> *profari.*

Ne nunc infinitis aliis dotibus Ululas ſuprà Muſas attollam (*a*) cum de numero quoque ipſo periclitari conſtet, quoties à Parnaſſo tam altè ſe ſublevant,

(a) *Ita vocantur Muſæ à Pimpla Thraciæ monte, vel à fonte Pimpleo ad radicem ejus montis Strabo lib.* 10. (b) *Ne quid nimis!*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

vant, ut ad Sphæras cœleſtes applicentur, & ſeptem orbibus Planetarum præficiantur ſeptenæ, ſola Urania regat ſtelliferum cœlum, ex quibus redundat ſic nona Calliope, tanquam exſors & feriata, nullique ampliùs rei. Quantò me hercule prudentius & circumſpectius feciſſent Mythologiæ Sacerdotes, ſi myſteria hæc in terris quærerent propius: &, quando numerus convenit inter Ululas & Muſas, ſingulis generibus Ulularum (pace Minervæ) ſuam præficerent peculiarem Patronam, quæ ῥητορείαν (*a*) illam nocturnam regeret & moderaretur. Certè Nigidius hîc plus lucis & laudis haberet, qui *novem voces attribuit Ululis*, referente celebri Naturæ Conſulto Plinio, (*b*) & immeritò à multis diſputatoribus in diſcrimen vocatus eſt, quia diſcriminatim ſingulas illi voces intelligere nequibant.

Interea

(a) *Rhetoricam modulationem*, (b) *lib*. 10. *cap*. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Interea ne ſine deſcriptione aliqua, Patres, tantùm & tàm operoſum agmen tranſmittatur, ab illa digniore Heroina, quam **Oor-uyle** dicimus, incipiendum eſt. Hæc enim eſt, quæ inter cæteras familiam ducit. Adeo ubique etiam hodie verum eſt

——*Gaudent prænomine molles*

Auriculæ. (*a*)——

Otus illa ſeu Otis, à Græco ΩΤΙΣ ita dicta, ὅτι περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχει (*b*) ut author eſt Ariſtoteles (*c*); Latini ideo *Ululam Auritam* nominant, quæ, Plinio teſte, (*d*) *noctuis vulgaribus major eſt, auribus plumeis & præaltis eminentibus, unde & nomen illi.* Unde etiam Latini eam *Aſionem* vocant, ab aſininis auribus. Hac verò aurium protuberantia cum Mida Rege Phrygum convenit, à quo etiam antiquam generis ſui nobilitatem deducere

(a) *Horat.* 2. *ſerm. ſat.* 5. (b) *quod circa aures alas habet.* (c) *Hiſt. Anim. lib.* 8. *cap.* 12. (d) *lib.* 10. *cap.* 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

re creditur. Imò & vobiſcum, Patres. Nam, ſi Perſio credendum,

Auriculas aſini quis non habet?

Huic Aſioni veſtræ, quod viſu nocturno deeſt, auditu abunde ſatis compenſatum eſt, quo tam inſigni pollet, ut non tantùm ὦτις, ſed etiam ὠτακουστὴς verè dici mereatur; noctu præſertim, cum, teſte Stagirita, (a) *nocturnum tempus ad audiendum multò aptius ſit, quàm diurnum*. Naturam enim non fruſtra tam inſigniter eam auritam formaſſe credendum eſt, ſed hoc auditus inſtrumentum præ cæteris volucribus ei ſingulari favore indulſiſſe, cum *Deus & natura nihil faciant fruſtra (b)*. Atque ita natura comparatum eſt, ut facultatum naturalium cum una intenditur, altera remittatur. Sic in homine ſi intendatur facultas intelligens, concoquens & ſenſitiva remittetur. Hinc è grege veſtro valdè ſtudioſus

κακοσό-

(a) *Ariſt. probl. ſect.* 11. *qu.* 33. (b) *Ariſt.* 1. *de Rep. cap.* 2.

κακοςόμαχος (a) erit, & veteres pernas cum triſtitia

Fumoſo de fune procul pendere videbit.

Contra ruſticus quadratus, qui non intendit mentem in res controverſas, inter ſuccidiam, laridum & fabas erit εὐςόμαχος (b). Rurſus, cum intenduntur affectus & concupiſcentiæ, impeditur actus facultatis intelligentis, ut ſæpe non poſſitis, quod habitu etiam noſtis, actu exerere. Si verò circa mentis cultum (ut facitis) toti fueritis occupati, nitori externo corporis & veſtium minimum indulgebitis, & ſæpe ſine collari ad menſam, aut ſine pallio ad concionem ibitis, aut diſcalceati in forum venietis. Sic quoties intenti eſtis in viſum, remittetur auditus, & in contrarium, ſi auribus operamini, remittetur viſus, ut non obſervetis ea ſæpe cum Thalete, (c) quæ vobis ante

(a) *bonum habens ſtomachum.* (b) *cujus ſtomachus malè affectus eſt.* (c) *vide Diog. Laërt. in vit. Philoſ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

pedes ſunt. Modo enim aliquis veſtrum pedem ad lapidem impolitum offendens, ac caſui proximus, quos non cachinnos dedit? Idem ergo de hac veſtra judicate, Patres; Viſus ejus de die aliquanto remiſſior & debilior eſt, ſed illa cum Ippoclide non curat hoc, dummodo auditus tanto fortior & intenſior ſit.

Proxima, ſed intervallo aliquo ſequitur, quæ nomen habet ab officio felis, & **Kat-uyle** FELINOCTUA vocatur. Hæc pulchritudine ſua tantum inter reliquas eminet, quantum Venus inter Gratias plumis non tantum vividioribus & flavis, punctim & verſicoloribus, ex cineracio & fulvo mixtis, ſed alis etiam longè longiſſimis, atque poſt caudam in multum extantibus. Caput habet eximium ac planè regium, & quod Solis inſtar radiis in orbem circumducitur, denſum adeo plumis, ut roſtrum mediocriter hamatum quaſi occultetur, & puſilla ſui parte tantùm emineat, ut apud

Romanos

Romanos olim cuſpis ferri in Faſcibus Lictoriis (a). Neque mirum. Nam ſub communi nomine felis tanquam Regina juſtitiam exercet in mures & ſimilia retrimenta ædium & hortorum, quæ diſſimulato roſtri acumine multoties invadere ac lancinare ſolet. Oculi ſunt gilvi, & qui nocturno ſplendore rufeſcunt. Denique ſi quis totam videat, Εἶδος ἄξιον τυραννίδος (b) dicere neceſſe eſt: adeo ut hæc ſpecies inprimis depicta, & poſt mortem regio more exenterata, ac in clibano arefacta in atriis & veſtibulis non ſecus ac Pavo viſatur. In qua forma cum ſpectatur, mira ſæpe ſpectantium judicia experitur. Vidi, qui eam vivere crederent, ob miram ac inſitam poſt obitum naturæ elegantiam, & cum ex continua quiete, & frigore contactus tandem ſe deceptos eſſe viderent, eam cum Pontificiorum imaginibus

(a) *Vide Plutarch. in problematib.* (b) *Forma digna imperio.*

ginibus in Templis comparabant, quæ miſera turba vivere ſibi perſuadent, & cum tangunt, mortuas eſſe ſentiunt. Ruſticum etiam, neſcio quem, memini, cum in feneſtra eam ſedentem reperiſſet, totam plateam concitaſſe clamoribus, & materna ſua lingua vociferatam eſſe: **Siet daer een Katte met Veeren** *(a)*! Invitis ſanè Gratiis, quaſi Ἀθηνᾷ τὸν Αἴλουρον *(b)* comparare poſſis.

(c) *Indoctus quid enim ſaperet, liberq; laborum*

(d) *Ruſticus? abnormis, pingui craſſaque Minerva?*

Sexus quidam hominum tertius, licet ex utroque multum participent. Neq; enim Adam novitius in Paradiſo, neq; Ana mulorum inventor in deſerto tam fuerunt ruſtici credo, quàm ſunt hodie, qui cœlum & terram, & quadrupedes

& aves

(a) *En vobis plumigeram felem!* (b *Vide proverb. Feli Minervam conferre.* (c) *Horat. in art. poët.* (d) *Idem 2. ſerm. ſat.* 2.

& aves inter ſe confundunt. Sed perpendum eſt, Patres.

Tertium nobilitatis gradum ſibi vindicat Aluco, Huiue / ofte Kaus-uyle / cujus duo rurſum antiquiſſimi generis ſtemmata traduntur; *Majus* videlicet & *Minus*.

Major Aluco hoc peculiare habet, ut cum reliquæ aves inferiorem duntaxat palpebram moveant, oculoſque nonniſi per eam claudant, hæc *ſuperiorem à ſummo oculo ad imum adducens conniveat*, (*a*) ita ut in ipſo quoq; ſomno videre credatur, cum oculos plenè clauſos non habeat. Cogitate verò, quantum miraculi hoc ſit in iſtis hominibus, quos Græci Κορυβαντιῶς vocant (*b*), quantum in leonibus & leporibus, quorum ſingulos patentibus ſeu ſemi-apertis genis dormire Naturæ Conſulti narrant (*c*). Quid verò de Ὑπνοβάταις ſeu Noctambulonibus dicam?

(a) *Ionſton. admir. avium cap.* 4. (b) *Plin. lib.* 11. *cap.* 32. (c) *vide Plin. ibid.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

dicam? qui apertis & aliquantulum conniventibus luminibus dormientes, etiam ſomniantes cernunt, ac opera diurna peragunt, eaque tam ardua, quæ vigilantes vix poſſent, vel auderent. Malè ergo Ariſtoteles (*a*) *Somnum* definiſſe videtur *ceßationem naturalem omnium exteriorum ſenſuum ad animantium quietem & ſalutem inſtitutam.* Cùm enim Noctambulonibus ipſe videndi actionem tribuat (*a*), & ſomnum definiat ita ut cum ipſorum ſomno conſiſtere nequeat, quid dicam, niſi acutum illum Phæſtiadis filium dormitaſſe cum hæc ſcriberet? Certè viſus, qui ſenſus exterior eſt, in his Ululis & Noctambulis non ligatur, nec quies in his poſterioribus ſemper locum habet. Nam de lecto ſurgentes ſe veſtiunt, fores pandunt, arma corripiunt: & in navi ſi ſint, malos ſcandunt, per foros curſitant, ſentinam exhauriunt, & quid non? Quinimo neglectis

(a) *lib. de ſomno & vigil. cap.* 3. (b) *lib.* 5. *de generat. anim. cap.* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

tis veſtibus & poſthabitis tam turpi-
er ſæpe & obſcœnè ſe proſtituunt
udi, ut Anabaptiſtæ olim in Amſtelo-
amenſium civitate (a), tanquam re-
ivivi Adami & incarnati lemures.
llud verò in eis mirabile eſt, attendite
'atres, quod *audito nomine, quo Chri-
tianiſmo ſunt inſigniti, ſi quicquam con-
ſcenderent, mox decidant.* Lemnius (b)
Baptiſmi efficaciæ id tribuit: Verum
cum in Turcia idem, ut perhibent,
contingat, haudquaquam ei vos ad-
ſtipulaturos arbitror; cauſſam verò
potius aſſueta & quotidianæ nominis
proprii auditioni (qua nihil homini in
vita frequentius) adſcribendam eſſe
exiſtimabitis.

Narrant inſuper rerum naturalium
ſcriptores de *Alucone majore*, eam
auriculis quidem eminentibus carere,
at illarum loco naturam ei donaſſe *co-
ronam è plumis contextam* (c). Hanc
verò

(a) *Anno* 1535. (b) *de occultis nat. mirac.* *lib.* 2. *cap.* 5. (c) *Ionſton. admir. avium cap.* 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

verò non ſuperiorem capitis parte[m] cingere; id enim jam nimis vulga[re] eſt, etiam à fece vulgi in nuptiaru[m] feſtivitatibus hodie frequentatum: ſe[d] faciem totam obire hac elegantiſſim[a] forma & ſtructura, quam vobis deſcr[i]bam. Pinnulas habet plumeas ſup[ra] oculos eminentes, ac in morem gra[n]dium ſuperciliorum elevatos, quæ u[t]rimque per tempora ſe diffundunt, a[c] ſub mentum deſcendendo coëant i[n] figura pepli muliebris (a). Hæc plu[-]mea corona oculos & roſtrum mir[o] naturæ artificio ambit circumquaque, ut eâ ventos, nives, imbrem, aliaque aliàs nocitura arcere poſſit: majora ex ea capiens commoda & commoditates, quàm ullus unquam Regum aut Imperatorum ex ſua ſibi cepit corona; quâ ſi hæc noſtra eſſet inſignienda, non magis ei prodeſſet, quàm gallo Æſopico gemma.

De Minore Alucone autem illud

(a) *quod noſtri* een Cupertjen *vocant*.

ud vobis conſtat, quod parum à
AMPESTRI ſpecie, quam Wels
ule dicimus, differat, niſi quod illa
tius in campis liberioribus, unde &
omen habet, graſſatur; hæc verò e-
am alibi viſatur, pauloque grandior
t. Inter laudes verò ejus hoc inprimis
emorabile eſt, nec exiguum nobilita-
is ſignum, quod ſordes tantopere de-
eſtetur, munditiemque amet, ut *an-
equam cibum ſumat, prius eum deplumet
& exoſſet, omneſq; pennas & pilos rejiciat,*
(a) adeò ut integras columbas ſine ulla
æſione plumarum exedere poſſit, &
exteriorem tunicam amicis inviolatam
relinquat. Quod equidem admiratio-
ne dignum, cum *tam ampla ei ſit gula,
ut bolos ovo majores tranſmittere poſſit.* (b)
Sanè ſi ventres illi voraces & comedo-
nes ignobiles, quorum Catalogum Æ-
lianus texuit (c), tam patentem gulam
habuiſſent, non depilaſſent opinor.
Sed

(a) *Ionſt. ibid.* (b) *Idem ibid.* (c) *lib. 1. var. hiſt. cap. 27.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Sed à campis ad ſylvas abeo, &
Alucone ad Ululam SYLVESTRE
Wout-uyle. Hanc cum Virgilio.

Sylveſtrem tenui tantum meditab
avenâ.

neque multum de ea dicam, niſi quo
ſacrum & peculiare eſt. Hæc eni
eſt, cujus mentio in Pſalmis habetu
& כוס חרבות (a) *Ulula vaſtitatum* vo
catur (b) quamvis de nomine magna
& immerita controverſia moveatur
adeo ut mirum in modum hîc varien
Interpp. quorum nonnullos allegar
fert animus, ut, authore Seneca (c) *le
ctio certa proſit, varia verò delectet.* Tre
mellius & Iunius, Leo Judæ aliiqu
כוס (d) per vocem *Bubonis* reddiderunt
Rabbi Salomon *Falconem* tranſtulit
Reliqui *noctuam* ſeu *nycticoraca.* Ita
Lxx: νυκτικόραξ ἐν οἰκοπέδῳ : Quos
ſequuta Vetus Verſio, *Nycticorax in*
domi-

(a) *côs chorobhôt.* (b) *Pſalm.* 102. 7. (c) *Epiſt.* 45. (d) *côs.*

domicilio. Targum קיפופה (a) *Noctua* ſeu *Ulula.* Scindlerus in voce כוס exposuit per *noctuam ſolitudinum*, Gallica Genevenſis habet *Choüette*: Alia vulgaris *Hibou.* Quin & noſtra vetus & nova Tranſlatio Belgica, **een Steen-uyl.** Nemo autem (quod miror & doleo) recto ſuo nomine eam **Wout-uyle** vocavit. Nulla profecto Ulularum cum hoc in certamen quietis & rranquillitatis venire poteſt. Vitam enim Monaſticam agit in deſerto

Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina (a).

A ſylveſtri porrò ad PALUSTREM nos vocat ordo, **Veen-uyle** ſcilicet, quod nomen itidem à domicilio ſuo recepit. Avis magis candida, quam ſunt reliquæ, forte & magis innocens. Quid enim aliud quàm innocentiam ac integritatem vitæ in uliginoſis & paludoſis locis ſectari putatis! certè otium

(a) *kiphupha.* (b) *Horat, Epod, ode* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

otium ſuum non ſine cauſſa terit illi ubi ſæpè, peſtiferæ exhalationes & bufonum venena graſſantur; quæ, non arcet penitus, tamen quantumi ſe eſt, impedit, ne in perniciem homi num aut ovium erumpant. Pro qu pietatis officio non aliam merceder accipit, niſi quod cum Ciconia rana audaculas & paludum piſciculos carpit Sed & hoc præ reliquis habet, quod clamores ſuos & vociferationes tan accuratè diſtinguat æqualitate tempo rum, ſicut Muſici ſolent tonos ſuos metiri intervallis.

Supereſt NYCTICORAX Nacht-uyle, Nacht-rave / haud infimæ nobilitatis avis, non quidem è genere corvorum, ſed Ulularum, quæ in hoc à communi popello diſcriminatur, quod aliquanto ſit major, & ad naturam corvorum nonnihil accedat (a). Unde & ei forſan Νυκτικόραξ nomen inditum quod Gaza in Ariſtotelem vocat CI-

CUMAM,

(a) *Vide Ariſtot. H. A. lib. 8. cap. 3.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

UMAM, quaſi *cacumam*, quod in
æco eſt & noctu volat. Heſychio
NYKTOBAΣ vocatur. Cæterùm
hanc ut πρόσωπον in ſcenâ προτατικὸν
(*b*) ſalva ejus nobilitate tranſmittimus.

Minimæ ſtaturæ perhibetur eſſe il-
a Ulularum ſpecies, quam ad imita-
tionem Belgicæ appellationis Steen-
uple ΛΙΘΟΓΛΑΥΚΑΣ ſeu SA-
XULULAS nominare poſſumus, eò
quod in ſaxis, locis petroſis & lapicidi-
nis ut plurimum commorentur. A ſaxis
igitur & petris nomen hoc videntur
obtinuiſſe. Quod ſi quis non glorio-
ſum putet, neceſſe eſt, ut unam è co-
lumnis Apoſtolorum contemnat, cui
magnificum hoc nomen à petra tri-
butum fuit. (*c*). Vocem cum Vanello
eandem fermè habent. Quod enim ille
ſonat Kiwit / hoc noſtræ Kiwitw /
litera tantum finali immutata.

(a) *perſonam, quæ in dramate ſemel tantum lo-
quitur.* (b) *à petra* Petrus *vide* Iohan. 1. 43.
colla. cum Mat. 16. 18.

Cum his, ut cognatum genus junguntur illæ, quas **Kerck-uylen**/ TEMPLARIAS, vocamus, majores quidem, ſed non multò maximæ: quarum religionem vobis deſcriberem, niſi inter virtutes omnium Ulularum prima ſtatim commendanda foret. Unum tamen hoc principale præ reliquis habent, quod inter dormiendum tam fortiter & valide ſpirent, ac ſi cum ebrioſis dormientibus ronchos ducerent. Quam certè virtutem exerere debuiſſent, cum Anno MCCCLXXXII nullus omninò ventus eſſet in Germania tota, (*a*) & omnes molæ pneumaticæ quieſcerent.

Atque hæ ſunt præcipuæ & antiquiſſimæ nobilitates ex Ulularum gente. Reliqua earum turba ſibi ferè ſimilis eſt, ac corporis conſtitutione parum aut nihil inter ſe differt. Quod ſi quis interim, ut ſunt perverſa ſæpè & maligna judicantium ingenia, non omnia

(a) *Sebaſt. Franck. ad hunc annum.*

omnia hæc genera admittat, quia ſibi inviſa aut incognita ſunt; næ ille injuriam ſacerrimis iſtis volucribus facit, & talem quidem, qualis olim Pleiadibus in cœlo facta eſt,

Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent (a).

propterea quod ſeptima latet (*b*). Sed ſperamus meliora.

Interea, Patres Conſcripti, ſicut mos eſt, ſi quando ad ampliſſimum dignitatis aut nobilitatis faſtigium quiſpiam aſſurgit, aut ex illuſtri genere oriundus aliis ſupereminet, ut quilibet in iſtam familiam irrepat, & peſſimus quiſque nomen ac inſignia iſtius ſtirpis ſibi quoque tranſſcribat: ita hîc quoque multi alii, quibus nihil cum Ulula commune eſt, ejus ſibi nomen & familiam uſurpant.

Atque equidem ut maximè fas ſit homines aliquos admittere, qui glorio-

(a) *Ovid. lib. 4. faſt*, (b) *Cauſſam ejus occultationis vide ibid.*

ſum ULULAE nomen ſuum aſſumpſe-
runt; ut ULADISLAUS Rex Po-
loniæ; ULASTA Regina quondam
Bohemiæ: Item apud nos UYLII,
UYLENCAMPII, UYLENBUR-
GII, UYLENBROECKII, UY-
LENDORPII: Quinetiam civitates
& arces, qualis ULYSSIBONA ce-
leberrimum Luſitaniæ Emporium at-
que ULA arx ad *Ulam* & Dunam
fluvios (*a*); itemque totum ULEN-
BURGUM Amſtelodamenſe; quia mul-
tum ex laude Ululinâ participant. Non
tamen cuivis profano ex avibus & in-
ſectis, aliiſque viliſſimis rebus Ululi-
num nomen uſurpare, & genus men-
tiri licet. Ne DI ſirint unquam, ut
tam ſtulti ſimus! Quare veſtrum erit,
Patroni Ululantes, id quod vocamini
exerere, contra omnem iniquam &
fraudulentam Ululini nominis invaſi-
nem tueri, vigilare, providere, ne quid
Reſpublica detrimenti capiat.

Quanta

(a) *Thuan, lib, 31, hiſtor. ad annum* 1568.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Quanta enim avium & inſectorum eſt caterva, quæ ad hanc excellentiam aſpirat? Ut à parvis initiis ad majora progrediamur, ſunt nonnulla animalcula è genere Erucarum, Muſcarum Bombycum & aliarum atomorum, quæ noctu ad candelas advolantia ambuſtis alis ſibiipſis mortem accerſere ſolent, quæ ob exiguam formæ Ululinę convenientiam ὑποκοριστικῶς (a) Vylt-ſens dici volunt, vel abſque ὑποκορισμῷ (b) Mot-uylen: quæ ſi vel limis ſaltem oculis aſpexeritis, Patres, ea pro ſingulari veſtra dexteritate ab hac noſtra δὶς διὰ πασῶν (b) diſtare judicabitis. Proinde ne tam bruta & muta animalcula ejuſmodi nomenclaturam in vulgus uſurpent.

(a) *blande minuendo ſeu ſubblandiendo.* (b) *extenuatione qua rei turpi honeſtum nomen prætexitur. Vide Ariſt. 3. Rhetor.* (c) Bis per omnia *Proverb. quo pugnantiſſima totoque genere differentia ſignificantur.*

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, date nominis hujus honorem.

SCOPES verò, STRIGES, BUBONES, PTYNGES & SPINTURNICES, aliaſque infauſtas aves, quas nonnulli ad hoc noſtrum genus referre ſolent, vos neutiquam quoque admiſſuros ſcio. Harum enim pleræq; ſiniſtri ſunt augurii, motu Satyrico deformes, ſtridulæ, importunæ, audaces, crudeles, & quod præcipuum eſt, puerperis infeſtæ. Nam quod priores illas attinet, eas Poëta ingenioſiſſimus in Feſtis ſuis (*a*) quàm graphicè penicillo Poëtico depinxit.

Sunt avidæ volucres, non quæ Phineia menſis
Guttura fraudabant: ſed genus inde trahunt.
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ:

Canities

(a) *Ovid. lib. 6. Faſtor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Canities pennis, unguibus hamus
ineſt.
Nocte volant, pueroſque petunt nutri-
cis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactantia viſcera ro-
ſtris,
Et plenum poto ſanguine guttur ha-
bent.
Eſt illis Strigibus nomen, ſed nominis
hujus
Cauſſa', quod horrenda ſtridere no-
cte ſolent.

Homerum verò etiam eas nominaſſe & deſcripſiſſe refert Plinius (*a*). Lucanus quoque earum mentionem injicit (*b*).

Quid trepidus Bubo, quid STrix no-
cturna queruntur?

Horatius verò pluma nocturnæ Strigis Canidiam Veneficam uſam fuiſſe aſſerit (*c*).

 Canidia

(a) *lib.* 10. *cap.* 49. (b) *lib.* 6. *phaeſal.* (c) E-*pod. od.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Canidia brevibus implicata viperis
Crines & incomptum caput,
Iubet ſepulcris caprificos erutas, &c.
Plumamque nocturnæ ſtrigis.

In Prophetarum quoque ſcriptis à feritate & immanitate decantantur. Locus unus Jeſaiæ erit inſtar omnium (*a*). *Et concurrent fera animalia cum terrifico, & SCOPS proximo ſuo acclamabit; tantum ibi reſidet STRIX, invenietq; ſibi quietis locum* Quod verò idem alibi (*b*) Ululæ ſacrum caput inter noxia hæc animalia recenſet, cauſſa fuit myſtica nec cuivis facile extra gentem noſtram revelanda.

Hæ inſuper Avium peſtes maleficis & veneficis mulieribus, quin & ipſis Dæmonibus aſſimulantur, quibus idem cum ſtrigibus nomen eſt apud Hebræos & Latinos (*c*). Striges enim Scopes Lamias, Veneficas, Satyros & Dæmones eodem ſignificatu ſumi planum

(a) *cap.* 34. 14. (b) *cap.* 13. 11. (c) *Schindl. in Lexico pentagl. voce* ליל, *ſeu radice* לול.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

num eſt, nec operoſa probatione indiget. Quare antiquis ſemper in maledictis & peſſimis auguriis fuerunt. Quæ cauſſa quoque eſt quod Judæi in quatuor parietibus Cameræ, ubi puerpera decumbit, ſcribunt Hebraicis literis (*a*):

אדם חוה חוץ לילית׃

ADAM, EVA, FORAS STRIX.

Hiſtoriam totam aperit Buxtorfius (*b*) *Quando*, inquit, *mulier Judæa prægnans eſt partuique proxima eſt, cubiculum puerperæ decenter præparatur, & rebus omnibus neceſſariis inſtruitur. Ante omnia Paterfamilias vel quiſpiam alius Iudæus vitæ ſanctimonia & pietate inſignis (ſi modo talis uſpiam ſub cælorum convexitate reperiri poſſit) creta accepta in ambitu cubiculi circulũ deſcribit in omnibus parietibus & ſupra januam tam extrinſecus quam intrinſecus, nec non in ſingulis*

 paris-

(a) *Schindl. ibid.* (b) *Adam, Chauva, churz Lilis.* (c) *Synag. Iud. cap. 2.*

parietibus & circa lectum Hebræis characteribus ſequentia inſcribit verba: ADAM, CHAUVA, CHUTZ LILIS: *Hoc eſt*, ADAM, EVA, APAGE TE LILIS.

Hîc verò ſatis demirari nequeo, qua incredulitate ductus fuerit noſter Plinius, cum has aves jam toties memoratas *ſe non facile mente concipere, neque ipſas jam aves naſci vel noſci* profiteatur, (*a*) ſed fabulam ſubeſſe ſuſpicetur contra tot allegata Veterum teſtimonia, tam Sacrà quàm profana, qui uno quaſi ore & concentu eas extare clamant. Sanè ſi non extant, cur operam hic perdimus, ut eas rejiciamus ex familia Ulularum? Diceretis Plinio jam tum in animo ſediſſe, quod poſt tot ſecula Ramus in Dialectica ſua ſcripſit nimis confidenter (*b*): *Teſtimonia, cum exquiſita rerum veritas ſubtilius exquiritur, perexiguam vim probationis habere.* Actum eſt de omni Hiſtoria, ſiquidem huic

(a) *lib*, 10. *cap*. 49. (b) *lib*. 1. *cap*. 32.

huic credendum eſt. Tot vero ac tantis Authoribus, Patres Conſcripti, meritò vobis aſſentiendum erit, niſi Scepticorum more Ululam quoque ipſam cum omnibus Strigibus in dubium vocare velitis. Quod equidem Minerva prohibeſſit!

Interim ejuſdem ominis augurium de BUBONE eſto, cui nomen eſſe videtur à Syrorum בבא *Bobo*, id eſt, *inimico*, quo generis humani dicunt hoſtem, quamvis eundem à Bovis mugitu, quem imitatur, nonnulli vocatum velint. Quomodocunque vocetur,

Infeſtus Bubo eſt dirum mortalibus
omen (a).

Vel ut alius canit:

Bubulat horrendum ferali carmine
Bubo,
Humano generi triſtia fata ferens.

Plinius autem quam horrendum de eo teſtimonium prodidit (b). *Bubo funebris*

(a) *Ovid. lib.* 8. *Metam.* (b) *lib.* 10. *cap.* 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

bris & maximè abominatur, publicis præcipuè auſpiciis, noctis monſtrum, non cantu aliquo vocalis, ſed gemitu: ideoque in urbibus, aut omnino in luce viſus dirum oſtentum eſt. Et paulò poſt, *Capitolij cellam ipſam intravit, Papellio Iſtro & Lucio Pedano COSS. propter quod Nonis Martiis Urbs luſtrata eſt eo anno.*

Sed quid de Roma Gentili dico? De Româ Sacrâ dicam. Nam quod maximè huc facit, quomodo dirus quidam Bubo Synodum Romanam Anno Milleſimo, quadringenteſimo, undecimo, ſub Papa Joanne XXIII. in prima Seſſione poſt Miſſam de Spiritu Sancto, & in altera Seſſione ſimiliter perturbaverit, Synodumque totam tandem interruperit, vobis fortaſſe incognitum, neque minus tamen verum eſt. Nicolaum de Clemangis(*a*) audite qui tempore illo vixit, & horribilem

(a) *Fuit hic Bajocenſis Archidiaconus, vir ea tempeſtate celeberrimus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ribilem hanc hiſtoriam his verbis nobis reliquit (*a*).

Convocarat ante quatuor fermè annos Romæ Concilium Eccleſiæ, maxima quorundam compulſus inſtanti Balthaſar ille (a). Cumque ante primam Concilij congreſſionem pro invocatione Sancti Spiritus ſoluto fuißet de more Miſſa celebrata, ubi Concilium aßedit, ipſe Balthaſar in parata ſibi cathedra ſublimior præſedit. Ecce dirus & feralis Bubo funeris aut alterius (ut ferunt) calamitatis ſemper nuntius, è latebris ſuis erumpens, cum ſua illa horrifica voce continuò advolat ſuper trabemq; templi mediam, oculis in Balthaſarem directo intuitu conjectis, aſtitit. Cœperunt univerſi mirari quod nocturna avis & lucifuga, diurna luce in turbam mediam adveniſſet, malumque omen ex prodigio non immeritò auſpicabantur. En, inquiebant, ſuppreßà voce alter ad alterum,

(a) *in quadam Epiſtola.* (b) *Qui Baptiſtæ Panætio & aliis eſt Papa Ioannes 23. Platinæ autem 24. prius nominatus Balthaſar Coßa.*

rum, in ſpecie Bubonis Spiritus adeſt. Cumque cæteri & ſe mutuo & Balthaſarem ſpectantes vix riſum tenerent, Balthaſar ipſe, in quem ſolum ille fixa acie oculos intenderat, rubore ſuffuſus ſudare, anguſtiari, atq; intra ſemetipſum æſtuare cœpit, tandemque non inveniens, qua alia poſſet ratione ſuæ tantæ confuſioni conſulere, ſoluto Concilio ſurgens abſceſſit. Sequuta eſt deinde altera ſeſſio, in qua rurſum more ſimili (licet, ut credo, minimè vocatus) Bubo adeſſe non omiſit, verſo ſemper in Balthaſarem contuitu. Quem ille rediiſſe conſpiciens, majori quàm prius verecundia meritò conturbatus eſt, nec illius ultra prævalens ferre conſpectum, fuſtibus illum terrificiſque clamoribus abigi præcepit. Sed ille nec vocum inquietudine, nec aliis tremefactus moleſtiis aufugere voluit. &c. Hæc, inquit porrò, *ex fideli quodam amico didici, qui illis diebus recto gradu Romam veniebat, ſuper quibus cum propter rei inſuetudinem hæſitare cœpiſſem, per me vehementiſſimè adjuratus, veriſſima ſe retuliſſe confirmavit.*

Addebat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Addebat autem, omnes qui aderant, in magnum contemptum atque irriſionem Concilii ex hac re adductos, paulatimque toto dilapſo Concilio, nihil hic prorſum actum eſſe fructuoſum: Hactenus Nicolaus.

Quam hiſtoriam eò libentius vobis, Patres, enarravi, ut maximam Bubonis importunitatem cognoſcatis, qui tam Sancti Capitis Eccleſiæ, ac tot Sanctorum Patrum in S. S. Synodo legitimè convocatorum reverentiam nullam habuit; ſed cum columba expectaretur, ipſe non vocatus in terribili ſpecie apparuit.

Sed nec minor eſt irreligioſitas & cum ſacrilegio conjuncta, quod ſe in Templis oleo Catholico è lampadibus ingurgitare ſoleat (*a*) quod ipſi procul dubio in purgationem Diacatholicam cedit. *Spinturnicis* verò etiam audacia tantò major eſt quòd ignitos carbones ex æde ſacra in ædes privatas inferre non

(a) *Vide Plin. & alios.*

non veretur. At crimen hoc maximum! A Sacris enim profano cuilibet planè abſtinendum eſſe quis veſtrum neſcit?

Odi profanum vulgus & arceo (a)
— Εκὰς ἑκὰς ἔςε βέβηλοι:
— *Procul hinc, procul eſte profani.*

Has igitur avium Furias & infelices genios ad Garamantas & Indos, ubi Diabolum venerantur *(b)*, amandemus potius, quàm in celeberrimum & ſanctiſſimum hoc Ulularum collegium admittamus, quibuſcum nihil præter nocturnum volatum commune habent.

Qui, ſi ad hanc rem ſatis prægnans cauſſa foret, cur non & *Veſpertilionem* & *Nycterin* quoque ei cognatam, Ularum generi annumerant? Nam & hæ ſub crepuſculum tantummodo volant *(c)*. Num forte eos terret, quod adhuc

(a) *Horat. lib.* 2. *Carm. ode.* 1. (b) *Lerius hiſtor. navig. in Braſil. cap.* 16. (c) *Plin. lib.* 10. *cap.* 61.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

adhuc ſub judice lis eſt, *Utrum Veſpertilio, avium, an potius murium generi ſit accenſendus?* Unde olim Varro: *Factus ſum veſpertilio, neque in muribus planè ſum neque in volucribus ſum.* Quamquam vero S. Pagina eum in Catalogum Avium retulerit (*a*). Et Ariſtoteles Lydius ille Philoſophorum lapis idem teſtetur (*b*) VOLUCRUM *aliæ penna volant, ut Aquila & accipiter: aliæ membrana ſicca, ut Apes & Scarabæi: aliæ cute, ut* VESPERTILIO. Cui Suffragatur Plinius (*c*): *Sola* VOLUCRUM VESPERTILIO *lacte nutrit, & ubera admovet.* Nihilominus tamen hic judicium ſuum ſuſpendunt, nec aliquid certi definiunt: Malim vero ego, colla omnium ejuſdi monſtrorum ſuſpenſa, quàm ut nobis amplius moleſta ſint, ut & cætera quæ de famoſiſſima hac Ulularum gente Scriptores memoriȩ reliquerunt, non

(a) *Levit.* 11. 19. 20. *Deut.* 14. 18. (b) *H. A. lib.* 1. *cap.* 5. (c) *lib.* 10. *cap.* 61.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

runt, non ignota mortalibus eſſe ſinamus.

Scitis hominum genus in corpus & animam dividi, planè ut porcorum, quibus ut maximè (juxta Chryſippum) anima pro ſale data eſt, (*a*) tamen corpus à corpore noſtro interius in ventriculo & viſceribus non differt; adeoque ſæpe Anatomici in corpore porcino experiuntur, quod in humano facturi ſunt. Si Ululam hac ſua cura dignari velint, & corpuſculum ejus inſpicere, de conſtitutione aut diſpoſitione præclarè judicabunt, quod TEMPERAMENTUM ejus in ſingulis aptè & concinnè ſit diſpoſitum, calidum & humidum radicale optimè temperatum, quatuor humores inter ſeſe (melius quàm quatuor Venti) legitimè commixti, ſpirituque vitali repleti.

In hoc verò ab omni ferè pennata creatura differre videbunt, quod nec ſtomachum, nec ingluviem habeat, ſed inteſti-

(a) *Cic.* 2. *de nat. deor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

inteſtinula ſua cum alvo conjungat, ibique concoctionem in aliquo capaciori veluti ſinu exerceat; fortem adeo ſiccamque, ut omnia conſumat, præterquam id quod non habet, crines: quos neque canes ipſi, maximè criniti, concoquere poſſunt; imò quod miremini, ne Draco, quidem, ſocius Idololatrici Beli apud Babylonienſes pilos cum adipe & pice concoquere potuit, quos ei Daniel in fauces conjecit. (*a*)

Sed cur non quæſo feliciter concoctio Ululina procedat? cum nobiliſſimo plerumque cibo utantur, carnibus & piſcibus, iiſque libentius crudis quàm coctis, nonnunquam etiam vermiculis, cum famelicæ ſunt, muſciſque & ſimilibus; è quibus illis caro pro cibo, ſanguiſque pro potu eſt.

Neque vero hoc nobilitati Ululinæ aliquid derogare exiſtimabitis, Patres, quod cadaveribus ejusmodi impendio delectentur. Id enim commune

(a) *Adject. ad Daniel. cap.* 14. *v.* 26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

mune vobiſcum crimen habent. Nam & vobis placet & in ſummis deliciis eſt cadaveris ſpecies. Etenim quo quæſo alio cibi genere, paucis quibusdam herbis, fructibus frugibuſque exceptis utitur totum genus humanum? Annon pleraque fere eſculenta ſunt avium, piſcium, quadrupedum ferarum, cicurum ut & exanguium cadavera? Viva enim quis deglutiat? Aut ſi minuſcula quædam inſecta Ululas viva deglutire dicitis, vos quoque minutos quoſdam in caſeo vermiculos vivos deglutire dico. Extinctorum verò carnes exanimes dentibus laniantur, cruſtis inſepeliuntur, ac animantium viſcera in viſcera hominum conduntur, planè contra aurei ſeculi morem & prudentiſſimi Pythagoræ inſtitutum, qui abſtinendum duxit à ſanguine & vita animalium (*a*), non minus atque à faba. In hoc igitur cùm Ululis convenimus omnes, niſi quod iſtæ cruda, nos cocta

(a) *Vide Ovid. lib. 15. Metam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

cocta plerumque comedimus. Sed & coquina ipſis moleſta & ſumptuoſa eſt nimis, quæ plus ſæpe impendit in juſcula ſua, quàm omnes litigantes in juſtitiæ jura.

Hinc fit, ut Ululæ niſi morbo aut morte interveniente, per omnem vitam ſuam conſtantiſſimè vivant. Quamvis in eo parum ſit ſitum, quamdiu, ſed quàm benè quis vixerit. Et ſenectus calamitoſa magis quàm beata eſt; eoque potius metuenda, quam optanda, cum & ipſis ſenibus ſit inviſa. Quo pertinet Catonis majoris querela: *Senectutem ut adipiſcantur omnes optant; eandem accuſant adepti* (b). Menandri audite verſiculum:

Φοβȣ̃ τὸ γῆρας. ȣ̓ γὰρ ἔρχεται
μόνον,

Metue ſenectam: non enim ſola venit.
Hoc verò contra ipſam Ulularum immortalitatem eſt, quod

Illis

(a) *Cic. de Senect.*

Illis cum ſemel occidit brevis (a) lux
Non eſt perpetuò una dormienda.

Cæterum ut & de habitu & amictu vobis conſtet, non cum ave Æſopica alienis plumis ſe ornant Ululæ. Suis enim propriis ſatis ſuperque teguntur & decorantur, neque caudam cum Simiis ridiculè mendicare coguntur.

Corpore quidem exiguo, *alis* tamen *grandibus & copioſis excellunt*, (b): non ut illi, qui ingentia vela parvis navigiis imponunt, & turbine ſæpe tempeſtuoſo ſubvertuntur, fortunæ tantùm ludibria. Verùm cum alas ad volatum natura dederit (*ſine pennis* quippe *avolare haud facilè eſt*) id quod natura dedit ad volandum, ex arte moderantur ad corpus tegendum, frigusque brumale pellendum, erinaceorum more ſe contrahunt, & teſtudinum inſtar ſe plumea ſua teſta obducunt.

Sed

(a) *Verè brevis: noctu enim tantum vident.*
(b) *Plin. lib.* 10, *cap.* 19. (c) *Plaut. in Pœn. Act.* 4.

Sed hoc parum eſt, corpore præſtantem eſſe, niſi quis ornatus ſit excellentibus animi dotibus, *Ingenio & virtute*; in quibus *verum decus* Ciceronis teſtimonio, *poſitum eſt*.

INGENIUM ergo & SAGACITATEM pro avium natura ſubtiliſſimum ei natura tribuit, id quod operationes ejus nos manifeſtò docebunt. *Tantum enim quiſque ſcit quantum operatur*, ut habet commune Philoſophorum axioma.

Memoratur in veteri apologo, Ulula aliquando conſilia ſana volucribus ſuppeditaſſe de evellendo lino, dum adhuc eſſet in herba, ne ſuccreſcens hominibus materiam laqueorũ, quibus caperentur, ſuppeditaret. Quo conſilio ſpreto, Ululam ſocietate hominum relicta ferunt noctem ſibi delegiſſe, reliquas verò aves ſerò cum Phrygibus ſapientes, quoties Ululam conſpicantur, eam circumvolare, atque conſilia, quibus hominum dolos effugiant, ab hac ſapientiæ magiſtra etiamnum exſpectare.

Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Refert quoque Plinius, *eſſe eam avem imitatricem* (*a*) : *Imitatur enim res eas, quas ab hominibus fieri videt.* Non tantum igitur vocem, ſed & facta humana exprimere novit. Quod ſanè acris & acuti ingenii ſignum eſt, quo ut Simia in genere quadrupedum θηρίον μιμηλότατον ἐστι τῶν ἀνθρωπίνων (*b*), ita hæc in genere avium ad naturam hominis proximè pertingit. Et quod pace hominum per omnes pſittacos & picas vos obteſtor, ut credatis, inſtar pſittacorum & picarum, nonnunquam docilis eſt loquendi & cum hominibus ſermocinandi : ſed non alia quàm Attica lingua (*c*). Itaque ſi loquacula per illam minus eſt quàm reliquæ iſtæ aves, credite, Patres, hanc artem ex decoro magis eam poſſidere, neque ſibi placere inani φιλαυτίᾳ, ut pſittaci ſolent

(a *lib.*10. *cap.*23. b) *animal præditum ſolertia imitandi res humanas. Lucian. Ælian. de nat. anim. cap.* 26. (c) *Vide Orationem* Funebrem *Floræ Viduæ in obitum noctuæ.*

ſolent, qui identidem ſuum nomen ingeminant (*a*) & picæ, quæ perpetuò ſe virgines (*b*) aut corvi qui ſemper ſe affines (*c*) clamant. Quod ergo in loquela poteſt Ulula, quidni in reliquis poſſet?

——— Fac periculum in literis,
Fac in palæſtra, in Muſicis, quæ liberam
Scire æquum eſt volucrem, ſolertem dabo (*d*).

Sed inprimis calliditate ingenij ſe tueri novit contra vicinas ſuas garrulas & importunas. Memorabile videte exemplum:

(*d*) *Cicada acerbum Noctuæ convicium*
Faciebat, ſolitæ victum in tenebris quærere,
Cavoq; ramo ſomnum capere interdiu
Rogata eſt, ut taceret: multò validius

 Roga-

(a) *Belgicè* moey Papegaeptjen. (*b*) maget maget. (c) Goeden dach Swager (d) *Ter. Eunuch. Act. 3. ſce. 2. 23.* (e) *Phædrus in fabellis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Clamare cœpit: rurſus admota prece
Accenſa magis eſt. Noctua ut vide
ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba con-
temni ſua,
Hac eſt aggreſſa garrulam fallacia:
Dormire quia me non ſinunt cantus
tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis,
Potare eſt animus nectar, quod Palla
mihi
Nuper donavit. Si non faſtidis veni,
Una bibamus. Illa quæ ardebat ſiti,
Simul cognovit vocem laudari ſuam,
Cupidè advolavit. Noctua egreſſa
è cavo
Trepidantem conſectata eſt & leto
dedit.
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

Verùm enimverò non ſemper idem ſucceſſus comitatur eundem animum; ſed ut rectè Boëthius: *Vbi maximus intellectus, ibi minima quoque fortuna.* Quod & noſtra ſæpe experta eſt. Nam hæc ipſa ingenij & imitationis ſubti-

ſubtilitas ipſi ſæpè exitio eſt. Ferunt ſiquidem Naturalium rerum periti, Aucupes ex hac docili & imitatrice natura, quam in Ulula, Oti potiſſimum, deprehendunt, occaſionem & initium ſumpſiſſe inſidiandi.

Teſtis eſt Plinius noſter, *haud difficulter eam capi intentam in aliquem, circumeunte alio (a).* Etenim ſimulac animadvertunt aucupes, Ululam præſto eſſe, lento gradu ad eam accedunt, ſtant ei è regione, & viſcoſo pharmaco ipſi ſibi oculos inungunt, quod poſtea in pelvibus relinquunt & ſecedunt mox redituri. Interea temporis accedit hæc noſtra, nullius mali dolive conſcia, & prout obſervavit aucupes feciſſe, ita & illa facit; oculos ſibi pharmaco inungit, qui mox conglutinantur, ut plane videre nequeat. Accurrunt tum aucupes, eamque capiunt (b)

(a) *Lib.* 10. *cap.* 23. (b) *Vide Ionſton. Thaumat. in admir. avium, cap.* 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Jam id peccatum primum magnum,
magnum, at humanum tamen.
Fecere alij ſæpe itē boni(a) —- *Nam &*
Ingenio periit Naſo Poëta ſuo:

Qui ſi minus ingenioſus in patria, minus etiam calamitoſus in Ponto fuiſſet. Quotuſquiſque verò etiam eſt, qui non exemplis, imitatione & conſuetudine aliorum oculos ſibi illini patitur, ac vitioſo ſcelerum pharmaco in mortem ipſam prolabitur? Quod enim exemplo fit, id jure fieri putatur. Illud vero melius,

Periculum ex alijs facere, tibi quod ex
ex uſu ſiet,

Majora tamen alibi & feliciora ingenij ſui ſpecimina exhibet, dum ut ajunt, *cum Lingula & Cyncramo coturnicibus hinc trans mare proficiſcentibus ducem ſe præbet.* (b). Cogitate jam, ſultis, quid viſus nocturnus ei proſit, & quantum emolumenti afferat volucribus. A cœco enim planè periculoſum eſt duci

(a) Teren. *Adelp. act. 4. ſc. 5. 52.* (b) *Plin. lib.* 10. *cap.* 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

duci. Bifariam autem hoc facto nominis ſui famam adauget.

Primò quidem inde apparet maxima animi dexteritas, & acumen excellentiſſimum, quod ſe his avibus non ſociam duntaxat, ſed ducem præbet, eaſque antevolat, & viam ſuper Oceanum commonſtrat: cum alioquin juxta ſapientem Agurem incerta & inveſtigabilis ſit *via avis, via navis, via ſerpentis, & via juvenis in virgine* (a) Hoc verò itinere emenſo etiam remeare creditur, cum nobiſcum ſemper maneat, & hyeme paſſim in his quoq; regionibus viſatur.

Deinde, quanta quæſo hæc eſt hujus alitis humanitas (abſit invidia verbo) tantum laborem & moleſtiam aliorum cauſſa ſuſcipere per tot miliaria tot dies nocteſque continuas *Manucodiatæ* inſtar volare, & ſe in periculum vitę & fortunarum alterius cauſſa conjicere; dum viæ imperitis viam abſque

(a) *Proverb.* 30. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

tædio monſtrat, ſine qua ſi ſociæ volucres eſſent, nunquam ad alias regiones pervenirent. Videtis, Patres,

Ut ſæpè ſumma ingenia in occulto latent.

Quis unquam veſtrum putaſſet, tantum ingenij in Ulula reperiri? Sicut enim

Non cuivis homini contingit adire Corinthum, (a).

ita nec cuivis volucri transvolare vaſtum & undoſum illud mare.

Quanta verò beneficentia ſit ſalvus iſte conductus in loca peregrina, vel ſolus Tobias vos docebit, qui Angelum ſuum tam liberaliter remunerari voluit*(b)*: Imo & Ennius ingenio maximus.

Homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit.

Eximium verò hoc providæ mentis argumentũ eſt: Quod, *ſi ventus agmen adverſo*

(a) *Horat. l.* 1. *Ep.* 17. (b) *Tob.* 12. *v.* 1. 2. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

adverſo flatu cœperit inhibere, ponduſculis lapidum apprehenſis aut gutture arena repleto Ululas volare affirmat Plinius(*a*). Nimirũ ut eo vehementius violentię ventorum reſiſtere poſſint, nec à flatu aliorſum, quàm vellent, impellantur. Quam providam curam *gruibus* quoq; ne ſomno opprimantur, Scriptores attribuunt (*b*). Ita profectò non tantum aliis, ſed ſibi quoque ſapit Ulula.

Denique mirandam ejus ſagacitatem vel hinc intelligetis, *quod futuram tempeſtatem præſagire poſſit* (c) *Et vulgo obſervatur, ſi nemora relinquat, annum id ſterilem prænunciare* (*d*): ſi cavernas deſtituat, in die appareat, & ad alias inſolitas manſiones divertat, earum regionum & ædium hominibus mortem portendere. Quinimo & ſæpius noctu ad cubiculorum feneſtras advolare conſtat, ubi æger moribundus animam exhalabit.

(a) *Lib.* 10. *cap.*23. (b) *V. Æliam.lib.*2.*hiſt. anim. cap.* 1. *& alios.* (c) *Plin. lib.* 18. *cap.* 35. *Ælia. lib.* 7, *cap.* 7. (d) *Ionſton. in admir. aviumcap.* 24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Iſthuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt,
Videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt Proſpicere. (a) —— —— ——

Quid? annon hoc mirum meritò vobis omnibus videbitur, Ululam etiam eſſe inter Prophetas?

—— —— *O te Bollane cerebri Felicem!*

Quam tamen iſtiuſmodi præſagiorum cauſſam exiſtimatis, Patres? Ego equidem extraordinariam ei cum *Fanaticis* revelationem concedi minimè conceſſerim: & ſi vos probè novi, eam ne ſomniabitis quidem ipſi. Hujus ſagacitatis rationem potius ex ejus natura petendam arbitror, quæ ita condita eſt, ut cadaveribus, quæ à longinquo ſentire poteſt, (*b*) potiſſimum delectetur: quorum quidem nidore ac ſuavitate allecta naturali in hæc impetu fertur, non aliter quàm Sus audito ventris

(a) Teren. *Adel. act.* 3. *ſc.* 3. 32. (b) *vide Plin. & alios.*

ventris crepitu accurrit, mox ſtercus exceptura. At excipiat veſtrum quiſpiam: Ægri dum adhuc ſunt in vivis, nondum cadavera ſunt. Quid igitur illi & nobis hîc cum cadaveribus & ſtercore? Scio, Patres, ſcio neque diffiteor moribundos *actu* cadavera nondum eſſe. Hoc tamen non obſtat, quò minus quam primum fiant, imò & *potestate* ſint. Quò enim quid proximius eſt interitui, eò magis proximum eſt corruptioni, & conſequenter cadaveri. Rurſum, dum *Moribundi* vocantur, parum abſunt à morte. *Quod* verò *parum abeſt, nihil propemodum abeſſe videtur*, ipſius Ariſtotelis judicio (a). Adde quod iidem jam aërem venenato & cadaveroſo ſuo halitu infecerint, quem etiam abſq; naſo per multa paſſuum millia odorari poſſunt Ululæ, eamque à ſana evaporatione diſtinguere. Annon & vos ipſi, Patroni Ululantes, pluviam, quæ è locis ſulphu-

(a) 2, *Phyſ.* 5, *tex.* 56.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

roſis extracta eſt, & in nubem condenſata necdum decidit (dummodo pituita non laboretis) per multa miliaria olfacere poteſtis? Et ſi feram multò ante prætergreſſam ſubolfacit

——— ——— *odora canum vis*;

an in hac noſtra longè ſagaciſſima, ſimilem, ut ne dicam majorem odoratus ſagacitatem negaretis?

Sed quid ago? Quo nobis Ingenium abſque Virtutibus? Verè Tullius: *Propter virtutem jure aliquem laudari, eumq́ in virtute rectè gloriari poſſe.* Ad VIRTUTES igitur Ululæ noſtræ, Patres, ſi veniendum erit,

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω (a);

Ignoſcant mihi Theologi, ſi ab eorum prima & præſtantiſſima Virtute RELIGIONE initium faciam, quæ ſacra & divina ſpectat, ac *ſuperſtitioni* opponitur, à qua hęc noſtra quam

diu

(a) *Quid primò, quid deinde, quid ultimo exequar?*

diu ſuperſtes eſt, abhorret. Neque enim totos dies precibus & ſacrificiis vacat, ut pulli ſui ſuperſtites maneant: unde juxta Ciceronem ſuperſtitio nomen habet. (*a*)Sed Religioni perquàm dedita eſt. Quæ quidem religioſitas nullo clariori argumento manifeſtatur, quàm ſi quis amet loca ſacrata, præcipuè Templa, eaque ſedulò frequentet.

Quod equidem in hac noſtra animadvertere licet, præſertim illa quæ nomen inde fert, quod **Kerck-Uyle** & *Templaria* dicatur (*b*), quæ ipſa Templa pro domicilijs habet, in quibus illam videmus volantem, ſedentem, ambulantem, pullos excludentem, mureſque captantem. Et quia plerumque in turritis faſtigiis juxta campanas nidulatur, vel exinde pietatis & religionis zelum exerit, quod pallia virorum vel pallas mulierum merdis ſuis inquinet, ne in poſterum tam ſerò ad ſacra accedant, ut ultima loca ſub turrim occupare cogantur.

(a) *Cic. lib. 2. de nat. Deor.* (b) *de qua ſuprà.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Muribus autem & gliribus tantopere in templis reſiſtit, ne cibarium ingrediendo profanent, hoſtiasque conſecratas devorent. Quo equidem tantum præſtare creditur, quantum totum Templariorum, Prædicatorum, Monaſticorum & Scholaſticorum agmen ſubtiliſſimis ſuis diſceptationum cribris percolare poſſunt. Omnes enim illas, ob quas tam acriter iſti inter ſe digladiantur, lites ac rixas, hæc rudi ſua Minerva vel planè removere, vel ad utriuſq; partis ſatisfactionem componere novit.

Ac ne quis veſtrûm, Patres, id ita dici à me forte miretur, expendat vehementiſſimas has diſſenſionum colliſiones (*a*).

I. *Quo-*

(a) *Vide Deciſiones aureas Caſuum circa Miſſam Iohannis de Lapide Theologi Pariſienſis, cap. 7. Thomam de Euchariſt. Qu. 79. & part. 3. ſumm. Qu. 80. art. 3. Ioan. de Burgo de cuſtod. Euchar. l. 10. Durand. in lib. 4. ſentent. diſt. 9. Qu. 3. alioſque plurimos è Scholaſticis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

I. *Quomodo & quibus locis hoſtia ſacrata tutò ſit reponenda, ne à muribus deglutiatur?*

II. *Utrum mus, qui ejusmodi hoſtiam abſumpſit, verè Chriſti corpus comediſſe dici poſſit?*

III. *Quomodo cum tali mure procedendum? An ob hoc ſacrilegium ſit exenterandus, an potius cum hæreticis cremandus?*

IV. *An iſta hoſtia, vel hoſtiæ particula etiam ſit adoranda, quæ in mure eſt?*

V. *Num mus ejuſmodi reliquis muribus ſanctior, an verò irreligioſior ſit dicendus?*

Neque quamdiu hæc noſtra religioſo hoc impetu in mures fertur, his & ſimilibus Canonibus opus eſt. *Qui benè non cuſtodierit Sacramentum, & mus illud comederit, quadraginta diebus pœniteat* (a). Item. *Quando mus comedit, vel corrodit corpus Chriſti.* &c. (b) Tædet

(a) *De conſecr. diſtiſt,* 2. *cap.* 94. (b) *Vid. Canon. pœnit.* 39.

det aſcribere reliqua. Ungues enim Ululæ acutiores ſunt in iſtis expungendis, quam calami noſtri in deſcribendis.

Macte iſta virtute, Ulula, perge ſic tua μυομαχία (a) otioſas & odioſas has rixas magnificè tollere, pacemque inter ſacrificulos reſtituere. Perge ita templa ab omni murium inquinamento, & cibaria à ſacrilegio tuta præſtare. Perge ſic murium genus ſacro quodam bello extirpare, quod indeſinenter mintrat, ſtridet, rodit, & in templis graſſatur.

Etſi verò locus ipſe te ſanctam non facit, nequaquam tamen te polluit. Tua certe Religio præſtantior eſt quam illorum, qui vivi nunquam templa ingrediuntur ad ſacra audienda vel peragenda, attamen mortui magna cum pompâ inferuntur, quaſi ſemper meticuloſi, ne laquearis ruina extemplò opprimantur.

Sic

(a) *pugna cum muribus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Sic ergò nos veriùs Ululis Religionem aſſerimus, Patres, quàm Plinius Gallinis. *Villaribus* (inquit) *Gallinis & religio ineſt. Inhorreſcunt enim edito ovo, excutiuntque ſe* (*a*). Ridiculè! Si horror & metus facit religioſum, quanto magis religioſa frequentatio ædium ſacrarum, tantuſque pro religione zelus? Quis verò veſtrum unquam credidiſſet, tantam religioſitatem Ululæ ineſſe? At id meo judicio tantopere mirandum non eſt, cum in Actis ipſe Paulus hoc elogio *Athenienſes* ornet, quòd ſint *præ cæteris græcis religioſiores* (*b*). Jam autem Ululam Minervæ & Athenienſibus ſacram eſſe ſcitis: Aut igitur hæc ab illis, aut illi ab hac noſtra eximiam hanc virtutem acceperunt.

Cæterum ut omnes virtutes habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur; ita in hac noſtra data Principe.

Virtutum

(a) *Lib.* 2. *cap.* 41. (b) *Actor.* 17. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Virtutum Religione, cæteræ ſponte ſequuntur.

FORTITUDINEM enim quod concernit (quæ à veteribus inter virtutes Morales, ut Religio inter divinas præſtantiſſima habita fuit, & unius *Virtutis* nomine inſignita) quis eam nobis negabit?

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam (*a*).

Ulula certè eam virtutem ita exercet, ut infracto ſemper animo hoſtibus ſuis obviam procedat.

Hoſtem autem habet, contra quem pugnet, non *Aërem, Ventumve*, Andabatarum more, quod ἀεροβατεῖν Græci dicunt, ſicut olim Pſylli Herodoto teſte (*b*) factitarunt, quos contra *Auſtrum*, ut ventum ſibi nimium infeſtum, digladiatos eſſe refert. Neque cum Celtis (*c*) aut cum Xerxe, (*d*) inſtructa

(a) *Horat.lib.4.Carm.od.4.* (b) *lib.4.* (c) *Ælian.var.hiſt.lib.12.* (d) *Plutarch.lib.de ira cohib.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ſtructa acie *maris* exundantis fluctus reprimere conatur, aut cum Thracibus contrà *fulmina* jaculatur. Hæc enim ſtulta aut furioſa potius quàm fortia & heroïca facta dici merentur.

Sed hoſtem habet *Corvum*, ſed *apes*, ſed *veſpas*, ſed *crabrones*, ſed *ſanguiſugas*, ſed denique hoſtes, quos minimè hoſtes eſſe deceret, domeſticos.

CORVUM inprimis toti ſuo generi infenſiſſimum, cum quo tanta illi ἀντιπάθεια eſt, ut Pauſanias memoret, *haſtam noctuæ & caryotas, quæ in palma ad ſimilitudinem palmularum ex auro factæ fuerant, corvos abripuiſſe* (*a*). Sed quod maximè ad laudem victoriæ facturum eſt; impar eſt utriuſque certamen & robur. Nam corvi genus improbum, injuſtum, importunum, moleſtum, & procax eſt, raptoque vivit. Ut volandi, ita & prædandi, diripiendi, atque dilaniandi conſuetudo ei quotidiana eſt & ab ovo ſuo congenita

(a) *Ionſton. in admir. avium. cap.* 24.

congenita, juxta illud tritum Græcorum proverbium: Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. *Mali corvi malum ovum.* Denique ne cæci dubitent, qualis ſit, color indicat.

——Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto. (*a*).

Quam cauſſam eſſe reor, quod Plinius illum inter aves inauſpicatas, & φαύλου οἰονίσματος (*b*) recenſet (*c*). Ululæ verò genus eſt quietum, innoxium, modeſtum, juſtum, ſuum cuique tribuens.

Itaque cum improbo & formidabili hoſte concertare cogitur verèque Davidem cum Goliatho commiſſum videtis. Non mirum ergo, ſi non uno ſemper ſtrategemate illum adoriatur: nunc arte, mox Marte; nunc corpore, mox animo; nunc roſtro, mox unguibus invadens. Nam

——Dolus an virtus, quis in hoſte requirat.

Totam

(a) *Horat. l. 1. ſerm. ſat. 4.* (b) *Mali ominis*
(c) *Lib. 10. cap. 12.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Totam certè Ululam in hoc conflictu corvino hæc noſtra exerit, nihilque penſi habet, an ſine claſſico canendo, in arboribus

—— *Corvum deludat hiantem*;

an mota acie

—— *in campis proſternat apertis.*

Agedum verò, annon ſic Ulula fortior erit hominibus? quod cùm ſuperiore ſuo contendit, cum illi ſæpe ab inferioribus ſe vinci patiantur. Ululam enim & hominem mihi apponite. Annon hæc noſtra animoſior erit quovis *Pygmæo?* qui homunculi cum ſint ab humana gravitate degenerantes, dignitatiſque ſuæ penitus obliti, cum Gruibus belligerare traduntur, & quod dedecus eſt ſummum, ſæpè vincuntur. Divinitus Poëta dixit:

Illa gravis palma eſt, quàm minor
hoſtis habet.

Sed benè ſcit noſtra (ne quis eam contra corvũ ῥιψοκίνδυνον (a) exiſtimet:) ini-

(a) *Seipſum temerè periculis objicientem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

inimicitias cum potentioribus multo illuſtraſſe, qui obſcuri manſiſſent, ſ hoſtibus ejuſmodi caruiſſent. Gravite Philoſophiæ Stoïcæ Princeps Seneca *Ignominiam judicat gladiator, cum inferiore componi. Scit enim ſine gloria vincere, qui ſine periculo vincitur.* (*a*). Poſtea verò, ſui ipſius quaſi oblitus, nihilque minus quàm Stoïcus: *Cum pare* (inquit) *contendere anceps eſt, cum inferiore ſordidum, cum ſuperiore furioſum.* At ego (ignoſcite Patres) *cum ſuperiore glorioſum* ajo. Nunquam profectò clarior fuit populi Romani virtus, quàm cum multis graviſſimiſque bellis contra bellicoſiſſimas Gentes occupabatur. Et noſtrum Belgium veterum Sicambrorum famam ſibi renovavit diuturno hoc bello, quo cum Hiſpano viribus bellique nervis potentiſſimo, ac orbis penè Monarcha contendit. Si Hiſpanum ergo minorem facitis, multum de belgarum gloria

(a) *De provid. cap.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

loria decedet. Ita quicquid de po-entia corvorum detrahitur, de Ululi-a quoque laude demitur.

Neque hoc fine tantum ejus ſtat gloria, nec uno hoſte contenta eſt ortitudo ejus. Refert Plinius noſter, *Ululam etiam Apibus, Veſpis & Crabronibus contrariam & infeſtam eſſe.* (a) Id autem tantoperè mirandum non eſt, cum apes, veſpæ & crabrones genus inſectorum inter ſe affine ob aculeorum & punctionum vehementiam violentiamque hominibus quoque infenſum ſit ac noxium, ita ut quaſi virgæ divinæ fuerint in expellendis Cananæis & Hivæis ex terra promiſſa (b); Ideoque veteri proverbio cautum ſit τὰς σφῆκας μὴ ἠρεθίζειν, *Crabrones irritandos non eſſe*; quibus iratis qui repugnant, amplius eos provocant, neque abſque ſuo malo diſcedunt: ſiquidem acutiſſimo & peſtilentiſſimo ſunt aculeo, quorum *ictum*

(a) *lib*, 29, *cap*.4. (b) *Exod*, 23. *Deut*. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ictum haud rarò ſinè febri eſſe idem Author commemorat (*a*), additque, *traditum à quibusdam, ter novenis crabronum punctionibus hominem interfici.* (*b*) Alluſit huc qui Epitaphium Archilochi Poëtæ maledici conſcripſit:

Ηρεμα δὴ παράμειψον ὁδοιπόρε, μήποτε τῷδε
Κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφιζομένȣς.

Quod latinis correſpondentibus in gratiam *μισελλήνων* ſic redditum eſt.

Ne fors crabrones, qui huic inſedere ſepulchro
Irrites, tacitum carpe viator iter.

In his ergo debellandis plus quàm humanam fortitudinem oſtendit Ulula. Quotuſquiſq; enim eſt inter homines, qui contra ſtimulum harum Furiarum calcitrare ſuſtinet? Quiſnam animo inſtructo contra eas caput efferre, & animosè depugnare audet? Quiſque ſibi cavet, ſtigmata horret, fugam capeſſit,

(a) *lib.* 11. *cap.* 22. (b) *ibid.*

capeſſit, acclamat omnes, cedendum eſſe de via. Nam illos

Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.

Quosdam verò ita delicatos, etiam in veſtra, Patres Nocturni, ſocietate novi, ut in pulicis morſu Deos invocarint:

Scilicet is ſuperis labor eſt, —— ——

ut etiam de pulicum delicto quæſtio in cœlis habeatur: tametſi ubi quis dolet, ibi & manum & linguam habet. Sed benè res habet: Ulula veſtra vicariam vobis operam præſtare non denegabit. Illa enim eſt, quæ aculeatum hoc genus aggredi non veretur: Fortitudinis enim œſtro percita totum illud perſequitur & peſſundat, *(a)* donec ſe ſponte Coronæ Ululinæ ad necem uſque ſubmiſerit. Niſi ergo Natura plumeam ei coronam liberaliter dediſſet antea, *(b)* jure meritò ob hanc

(a) *Plin. lib.* 29, *cap.* 4. (b) *Vide ſup.* 68.

hanc magnanimitatem Laurea Apollinari donanda feret.

Videtis ergo, Patroni Ululantes, ludum jocumque eſſe hominum fortitudinem, prout hujus veſtræ animoſitas quæ dat. Memini tamen, mihi ſæpiſſimè à fide dignis relatum eſſe, Ruſticum quendam Velavicum alveare cum toto apum examine in Iſalam projeciſſe, eò quod varijs eum ictibus pupugiſſent: atque magna cum indignatione in hæc prorupiſſe verba: *iſtic jaceas gens ſcelerata: Num ego poſſiderem quicquam quod ſupra me dominaretur? Hactenus Dominus fui rerum mearum, iiſque ſemper ſuperior, quod nomen mihi per totam vitam ſervari volo.* Egregiam verò laudem cum amplo damno! Potuiſſet hac ratione etiam omnes vaccas ſubmergere, quod cornibus peterent. Quanquam, meo quidem judicio, non hæc mediocris hominis ſunt officia. Audivit enim forſan homini Adamo, antequam ruſticus eſſet, dominium abſolutum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

beſtias tributum eſſe: quod jus etiam ipſe ruſticus poſtliminio ſibi revocare voluit.

Sed quò dilabor? Extra ſtadium me cucuriſſe video. Noſtra me revocat in arenam, & contra *Hirudines* ſe fortiter quoque præliari aſſerit. Id verò eſt, quod Plinius ait, *Eam ſanguiſugis inimicam eſſe* (*a*). Quid audio? an ergo malè ei cùm Medicis convenit? Nam & hi jam poſt ſanguiſugas ſanguiſugæ ſunt maximi, cum in paroxyſmis, morbis & ſymptomatis ſanguinis ſtatim emiſſionem urgent, & pecuniam, qui eſt alter ſanguis hominum, emungunt. Eſt ergo hoſtis quoque Ululæ ſanguinolenta Hirudo, de qua Poeta canit:

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo (*a*)

de qua ſapiens Agur refert, ei duas eſſe filias PRÆBE, PRÆBE. (*b*) Quibus juxta Tremellum (*c*) *duo rami*,

F *lingua*

(a) *lib.* 29. *cap.* 4. (b) *Horat in art. poet.* (c) *Prov.* 30. 15. (d) *in hunc locu m.*

lingua nimirum biſulca Hirudinis ſignificantur,è quibus etiam præciſo ore, veluti ſiphonibus defluit ſanguis, ut Plinius noſter inquit (*a*), atque ita indeſinenter ſugit & ſanguinem attrahit, quaſi loqueretur, *Præbe*, *Præbe*. Cum igigitur inſatiabiliter ſanguinem ſitiat hæc beſtia, & *ſanguis anima ſit cujuſque animantis*, (*b*) ſine quo vita conſiſtere non poteſt, digna utique eſt, quæ fortitudinem Ululæ experiatur, & ab ea non tantum juſte trucidetur, ſed inſuper (ſi Ulula Tomyris eſſet) in pelvim ſanguine plenam projiciatur, inſultante ac dicente hac noſtra: *Satia te ſanguine, quem ſitiſti!*

Tot externa ſunt noſtræ prælia, quæ totidem ſunt ejus fortitudinis inſignia. Reſtat civile & domeſticum quod periculoſiſſimum vulgò perhibetur, Φθειρομαχία (*c*)nimirum. Cum *pediculis* enim, (quos proprio ſuo ſanguine

(a) *lib.* 32. *cap.* 10. (b) *Gen.* 9. 4. *Levit.* 17. 14. (c) *pugna cum pediculis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

guine, ut Pelicanus ſuos fœtus, fovet ac nutrit) aſſiduè ei pugnandum eſt. Sed nec ab iis (ponite metum patres) ſe ſuperari patitur. Semper enim victrix extat, atque ingratos hos hoſpites an hoſtes dicam ea parte conſumit, qua homines panem devorant. Et meritò. Φθειρίασις (a) enim propia Tyrannorum, non Ulularum pœna eſt. Nam quis unquam de hac noſtra idem quod de hominibus legit, eam *eroſam à vermibus expiraſſe.* (b) Nunquam profectò pediculus ei inſultare potuit Tyrannico hoc verſiculo:

Ἐιμὶ φθεὶρ γλαυκῶν δαμάτωρ,
δαμάτωρτε πετεινῶν. (c)

At verò, ut turpè ſit à pediculis conſumi, non tamen eſt turpe, iis infeſtari. Communis enim hæc eſt hominum cum Ulula ſors, ut pediculis infeſtentur. Etiam veſtra, Patroni Ululantes, ſæpè ſors fuit. Hic enim

(a) *morbus pedicularis* (b) *Actor.* 12.23. (c) *Sum pediculus domitor ulularum & domitor volucrum.*

germani rurſus eſtis *Homululi*(*a*), quos à pediculorum inſolentia planè immunes eſſe ne nunc quidẽ arbitror, quantum ex fricatione alterius brachij conjicio. Neque tamen id dignitatem aut exiſtimationem veſtram quicquam lædit. Humanum enim pediculum, culicem verò cynicum (*b*) Rex Galliæ pronuntiavit olim. Cum igitur pediculus humanus ſit, utpote ex homine genitus, nutritus & educatus, atque ab homine fere ſupra hominem laudatus, humani à vobis nihil alienum putate, ſi cum alumna veſtra & conſcriptis Mendicantium Patribus à pediculo exagitamini.

Quandoquidem verò idem cum Ulula veſtrum in eum jus eſt, ad exemplum Ululæ vos armate, exercitum unguium in expeditionem educite, agmen promovete, digitis micate, pugnate; de victoria indubij & ſecuri, vel

(a) *homiues ululinæ naturæ.* (b) *Canibus prorum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

vel ipſo die Sabbathi, contra iniquam Judæorum ſuperſtitionem, qui *innominatum putant trucidare pediculum die Sabbathi*, à quibus, ut eorum Rabbini tradunt, ההורג כנה בשבת (a) graviter redarguitur. Hic enim vos itidem Machabæos eſſe jubeo, nec cœlum & terram inclamare, quòd innocentes pereatis, (b) ſed fortiter vos defendere contra pediculos vel medio Sabbatho. nam hoc verè Ululinum & fortiſſimum eſt.

Recolligite jam mecum, Patres, quot & quantis hoſtibus hæc veſtra undiq; obſeſſa ſit, & tamen victoriam obtineat. *Ne Herculem quidem contra duos*, verum & vetus adagium eſt; quamvis ejus duodecim labores toti mundo, quem totum peragavit, notiſſimi ſint. Et tamen hæc noſtra contra *Corvum*, contra *Veſpas & crabrones*, contra *Sanguiſugas*, contra *Pe-*

(a) *hahoreg kinn'a beſchabbat. i.e. trucidans pediculum die Sabbathi.* (b) 1. *Maccab*. 2. 37. 41.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

diculos ſuos: fortior corvo, veſpis, apibus & crabronibus eſt, fortior ſanguiſugis & omnibus pediculis ſuis. Quid reſtat, niſi ut etiam fortior ſit Herode, & Philippo Hiſpaniarum rege, qui à pediculis victi ſunt & triumphati, cum hæc vincat & triumphet ipſa?

Diſcant ergo mulieres, ignavum & imbelle genus, quantò ſexus ſuus abjectior ſit Ululina fortitudine, cum Viri & Reges eò pertingere nequeant. *Mulierem fortem*, ſeu *fœminam ſtrenuam quis inveniet* (*a*)? olim quæſitum fuit ab illo, qui mille fœminas habuit; cum de Ululæ fortitudine nemo unquam quæſtionem moverit, aut ſi unquam in poſterum moturus ſit, per me movere deſinat.

Tanta autem cum Fortitudine tanta PATIENTIA conjuncta eſt: etſi rarò hæ duæ virtutes

——*benè conveniant, unavè in ſede morentur.*

Fortis

(a) *Proverb.* 31. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Fortis enim potius *audax* quam *patiens* dicendus eſt, & licet Ariſtoteles, (*a*) inter audaces & fortes diſtinguat, in hoc tamen convenire dicit, quod *utriq; intrepide pericula adeunt.* Patientia verò non adit pericula, ut fortitudo; ſed ea fert ſolummodo, idque cum *pugna doloris*, cujus quidem etſi *aliquis decor ſit*, juxta Senecam, (*b*) attamen *in fortem non cadit* (*c*).

Hujuſce verò *Patientiæ* inſignia documenta præbet, dum odio & ludibrio omnium avicularum expoſita eſt, quæ eam de die volantem circumvolant, roſtris & alis percutiunt, ſubſannant, exſibilant, perſequuntur ac modis omnibus vexant, ut affatim ærumnarum habeat. Unde ab Ulula ῥηματικῶς noſtrum **Uylen /** id eſt *vexare*, dicitur; ut ab avibus ulula vexatur. Ipſa vero hæc omnia ſuſque deque habet, & patiendo reſiſtens omnes

(a) *lib.* 3. *Ethic. cap.* 6. (b) *Epiſt.* 99. (c). *Donald.* 3. *Ethic. cap.* 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

omnes avium illuſiones ac inſultus animo infracto contemnit & ſuſtinet. *Magni* verò *animi eſſe injurias deſpicere*, Seneca (*a*) rurſus teſtatur. Ita ergo intolerandam avium petulantiam ſingulari hac patientia vincere ſolet. Neque hoc ſolum; ſed & mira quadam prudentia eam eludere novit. De qua ſic ſcribit Plinius (*b*): *Noctuarum contra aves ſolers dimicatio: majore circumdatæ multitudine reſupinæ pedibus repugnant; collectæque in arctum, roſtro & unguibus totæ teguntur: Auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ, & bellum partitur.*

Et quod mirabilius eſt, quod tantam tentationum & vexationum molem ſuſtinere cogatur, ad ejus exemplum ipſa V. T. Eccleſia provocare non dubitavit, ſub perſona pauperis afflicti in hæc verba prorumpens: *Similis factus ſum plateæ deſerti, factus ſum*

(a) *lib.* 2. *de ira. cap.* 31. (b) *lib.* 10. *cap.* 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ſum, ſicut Ulula vaſtitatum (*a*). Videtis ergo, Patres & Patroni Ululantes, quantum Ululæ veſtræ ab ipſis Veteris Teſtamenti fidelibus ſit tributum, ut eam pro typo Crucis & Gentis exoſæ ſibi elegerint. Atque inde procul dubio ortum eſſe exiſtimo, ut hodie quoque ſive picta ſive ſculpta cruci inſidens conſpiciatur. Quod Belgæ dicunt, **Op kruchen gheſtelt.** Quantum verò illud, Typum Eccleſiæ gerere! quo honore pauciſſimi mortalium decorati fuerunt.

Næ ego, quanquam patientiſſimus laudis Ululinæ ſum, tamen tantis ejus cruciatibus fatigarer recenſendis, niſi inter vos quoque, Amici, ab omni ævo exempla noviſſem ſimilia.

Quis enim ignorat, quàm patiens Ulula fuerit inter ſuos Divus ille *Claudius* Imperator, qui licet in aliis ſatis oſtenderit τὴν ψυχῆς εὐγένειαν (*b*),

(a) *Pſal.* 102. 7. (b) *animi nobilitatem, ſeu indolem egregiam.*

ut ipſe judicavit Auguſtus; tamen *adeò contumelijs obnoxius vixit, ut ſi paulò ſerius ad prædictam cœnæ horam accurriſſet, nonniſi ægrè & circuito demum triclinio receptus fuerit* (b). Quod in convivio avium vix Ululæ noſtræ contingeret. Idem, *quoties poſt cibum obdormiſceret, olearum ac palmularum oſſibus inceſſebatur, interdum ferula flagrovè velut per ludum excitabatur à copreis* (b). Quod Ululæ noſtræ dormienti à vigilantibus nunquam adeo obveniſſe memini. *Solebant & manibus ſtertentis ſocci induci, ut repente expergefactus faciem confricaret* (c). Quæ tamen omnia patiendo Cæſar Princeps terrarum orbis ſuſtinuit.

Sed quid hic Cæſarem commemoro? Quaſi non cum Cæſare ſub Cæſare fuerit ſimilis Ulula *Bibulus* Conſul, qui omnia paſſus à Collega ſuo, tandem *domo abditus nihil aliud quam per edicta*

(a) *Suetonius in Claudio.* (b) *Idem ibid.* (b) *Ibid.*

edicta obnunciavit (a) Unde illa magnifica patientiæ laus:

Non Bibulo quicquam nuper, ſed
Cæſare geſtum eſt:
Nam Bibulo fieri Conſule nil me-
mini (b).

Quis autem ſtatus inter privatos olim aut publicos, quis hodie inter Eccleſiaſticos aut Politicos eſt, in quo ſi vel minimus conventus inſtituatur, non repente aliquis inter illos Ulula ſit?

Quo quæſo alio quàm Ulularum loco *Bacchantes* & *Pænales*, quos vocant, in Academiis Germaniæ habentur? qui pertinaciter ab Academiis exagitantur, ut ne hiſcere contra quicquam audeant. Ubi verò ad Depoſitionem venitur, vah quanta tormentorum inſtrumenta proferuntur! ut ne Buſiridem quidem tam varijs cruciatuum terriculamentis uſum fuiſſe crediderim.

 Inter

(a) *Plutarch. in Pompejo Sueton. in Cæſ. Julio.*
(b) *Sueton. ibid.*

Inter *Aulicos* verò quotuſquiſque eſt, qui non vapulat ac ridet? Nam qui cum ingeniis conflictatur ejuſmodi, ei ad omnes injurias eſt muſſandum, vel aula exeundum.

—— *Niſi quis colaphos perpeti*
Potis paraſitus, frangique aulas in caput,
Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccum licet.

Quotuſquiſque *Mennonita* hodie extra ſectam ſuam non Ulula eſt? qui omnia dicta aut facta ſibi impunè patitur, & exſibilatur: neque tamen ἀντιτύπτειν (a) ſuſtinet, niſi divortium à ſuis faciat.

Quotuſquiſque *Textor* etiam inter Mechanicos opifices non Ulula eſt, qui cum dignitatem artis ſuæ probare non poteſt, defendere eam non audet, & ſe infra foricarios & carnifices dejici patitur, nomenque ſuum profiteri erubeſcit.

Breviter

(a) *repercutere.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Breviter, narro vobis, Patres Ululantes, in curia, in foro, in aula, in ſcholis, & præcipuè in conviviis paſſim Ululas inveniri, tanta patientia, ut mirum ſit unam hanc virtutem tot imitatores & pediſſequos habere. Πάντα γλαυκῶν πλήρη (a). Ita vix tres congregati poſſunt, quin quartus ſtatim Ulula ſit, qui quò magis reſiſtit & ulciſci ſe parat, eò magis ludibrio & conſortio tantæ avis eſt indignus, quaſi jocari inſcius.

Quid quod *conjugium*, ſocietas prima & minima Ululam inter duos conjuges habeat? Nam cum Xantippe lotio perfudit maritum ſuum, quid aliud quam ingens Ulula *Socrates* fuit, qui hoc patiendo eluſit & ingenuè pertulit?

De *Cornutis* verò ſeu *Cornigeris* (b) qui juxta Platonis doctrinam πλατωνικώτατοι (c) ſunt in uxoribus ſuis

 com-

(a) *Vlularum plena ſunt omnia.* (b) Hoorndragers. (c) *maximè Platonici.*

communicandis quid dicam? Credite, hos omnium, quos ſol vidit, eſſe Ululantiſſimos, cum ſibi mentiantur ipſi, omnia commenta uxoria, ut oracula avidiſſimè arripiant, ſeque fallant,

Plus rugas frendentìs heræ, quàm probra timentes,

Adeò quidem ut nulla piamina poſſcant ab uxoribus ἐπ' αὐτοφώρῳ (b) deprehenſis, ſed gratiam adhuc tam fœdæ conſcientiæ venentur apud nobiles adulteros & magnates, quaſi illud Ariſtotelis ſemper perpenderent, *Bonum quantò communius, tanto divinius* (b). Quæ omnia, niſi tàm magna virtus Patientia foret, & in Ululis jam celebrata, vix amplius laudem mereri poſſunt. At nunc glorioſiſſimam merentur ſcilicet!

Pergite Porrò Pati: Patiendo Palma Paratur.

Sed Patientiæ utplurimum comes eſſe

(a) *in ipſo ſeu facto ſeu actu venere.* (b) 1, *Ethic.* & 2, *Topic.*

eſſe ſolet CONSTANTIA, neque facilè ab ea divellitur : quæ in noſtra tanta eſt, ut in alia volucri major eſſe nequeat. Id enim planè certum eſt, eam non eſſe cum ciconiis, gruibus hirundinibus, aliiſve avem migratoriam ac hoſpitam, quæ ſtationes ſuas mutet, & nos hyberno tempore relinquat, ſed quæ conſtanter nobiſcum commoretur tàm brumali quàm æſtiva tempeſtate ob inſitam animo tranquillitatem.

Argumento poteſt eſſe id quod Plinius noſter aſſerit, *Noctuam ſexagenis diebus hyemis cubare (a)*. Quamdiu autem cubat, certum eſt quod aliò non migret. Quum verò aves quaſdam, ut ſupra memoratum(*b*), trans mare ducit, id fit ante ſexagenos hos dies, quo itinere emenſo ac remenſo ſe quieti dat & tranquillitati componit. Quod ſi maneret hyberno tempore cum avibus iſtis, quibuſcum tranſmigrare dici-

(a) *lib.* 10. *cap.* 17. (b) *pag.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

dicitur, vos penitus deſtitueret, Patres C. neque à vobis unquam per illud tempus videretur aut audiretur. At cum contrarium experientia doceat, conſtantiam ejus nobiſcum videtis.

Ubi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſt verbis.

Non ergo ideo redit ad vos quaſi mala merx eſſet, aut nequam pecunia, quæ nuſpiam extrudi poteſt, ſed ut patronis ſuis conſtantiam hanc ſuam approbet & fidem. Alioquin enim ſtatuendum eſſet, juxta diverſam Ulularum ſpeciem alias in diſſitis illis & tranſmarinis ſedibus permanere, alias denique nunquam noſtris oris evolare, ſed perpetuò vobis adhærere. Quod λεπτοτομεῖν (a) eſſet & diſtinctiones novas inuſitataſque contra omnem Ululinæ Hiſtoriæ fidem proferre. Summa igitur huc redit: Apud nos manet Ulula & propterea eſt conſtans; ſexa-

(a) *nimis minutim diſtinguere.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ſexaginta diebus cubat: propterea eſt tranquilla. Non ut propterea eam à ſomno aut deſidia commendemus, aut pro Ulula Endymionē vobis laudemus cum iſtis ſomniculoſis hominibus qui inter laborem diurnum ſæpè obdormiſcunt, & cum nulla ſit Ulula, tamen *Ululam captare ſe* dicunt(*b*): ſed ut argumentum ſit ſecuritatis & beatitudinis. Nam ſi conſtantia hæc ejus cum aliqua voluptate & beatitudine conjunctà eſt, quæſo, ne invidete illi. Si enim carnem equinam ſemper manducaret, ſemper inquies, ut ajunt, & deſultoria eſſet. Nunc cùm placidè multumque dormiat, ab omni turba ſemota, Halcionia agit; tempeſtateſque & procellas, quæ tunc frequentes ſunt, prudenter in ſomno vitat. Et quantum quæſo omnes beatuli Somno debent?

Somne quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,

Pax

(a) een Uplitjen vanghen.

Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori (a).

Tune ſumme Nocturne Deus, Nocturnam Avem complecteris, nec ſexaginta diebus exire pateris? ſexta ferè temporis parte, quod in arca Noachi tranſactum eſt (*b*), ex qua primò corvus irrequietus, poſtea columba volatilis emiſſa eſt, antequam annuam expleſſent manſionem, cum Ulula conſtanter annum & decem dies ibi cum hominibus reliquiſque beſtiis tranſegerit. Certè niſi *major delectatio in quiete quam in motu* eſſet, ut bene Philoſophorum anteſignanus (*c*) ait, tam ſomnolenta non foret Ulula noſtra; ſed neque tam beata. Nam cum & animo & corpore quieto & compoſito ſit, inter dormiendum pingueſcit & abdomine repletur.

(a) *Ovid.* 11. *Metam:* (b) *Vide Gen. cap.* 7. *&* 8. (c) 7. *Ethic. cap.* 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

pletur. Verè Ariſtoteles, *animalia plus dormiendo quàm vigilando augeri* demonſtrat (*a*); Verè & nos Ululam propterea beatam aſſerimus, mercedem & præmium tam felicis conſtantiæ.

Quoniam autem de Conſtantia agimus, Patres, præſertim in dormiendo, date mihi hanc veniam, ut vobis ſimilem aliquam ſtudioſi cujuſdam conſtantiam enarrem. Petierat hic à famula ſua, ut tam præciſe ante ſeptimam matutinam ſe excitaret, ut in puncto horæ commodè exire poſſet, neque vel momento ante vel poſt: Nam ſi ante excitaretur, aliquid de ſomno decederet; ſi poſt, periculum in exeundo eſſet. Prævertit ancilla paululum & ad dimidium ſeptimæ expergefecit eum. Ibi ille vehementer inſtare ſeptimam exiſtimans continuò ſe veſtire cœpit & parare exitum. Jam ad limen erat, cum ecce campana impel-

(a) *lib. de ſomno & vigil.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

impellitur, & quadrantem ante ſeptimam ſignificat. Hic ergo multum indignari & ancillam objurgare, quod ſibi quartam partem horæ de ſomno ſurripuiſſet. Nec mora: Methodicè ſe reſolvit iterum, & veſtimenta quæ ſyntheticè modò induerat, analyticè exuit, & lectulo ſe involvit, clamans tantum tempotis non inutili vigilia tranſigendum eſſe, ſomnum nimis pretioſum eſſe. Interea ſomnus hominem opprimit, ut diu poſt ſeptimam dormiret: quod ſibi nequiter expetivit admodum. Sed

Iuſtum & tenacem propoſiti virum (a)

Noſtis cætera. Dignè ergo æſtimare tales diſcite, digno quoque honore afficite Ululam, quæ conſtanter, vobiſcum commoratur, tam ſæviente quàm blandiente fortuna invariabilis: melior illis, de quibus Venuſinus vates (*b*),

—Dif-

(a) *Horat. lib.* 3. *od.* 3. (b) *Idem, lib. Carm. od.* 35.

———Diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi,

Porro quemadmodum Epictetus ad ſuum Ἀνέχου καὶ ἀπέχου (a) omnia virtutum præcepta revocare voluit: ita hæc noſtra ad idem illud vitam ſuam conformare decrevit. Τὸ Ἀνέχου in Fortitudine, Patientia, Conſtantia ad oculum vobis demonſtravimus. Τὸ Ἀπέχου in reliquis abſtinentiæ ſeu Temperantiæ viciniſque laudibus apparebit.

Atque hoc quidem nulli abſonum videri debet nos TEMPERANTIAM quoque Ululæ tribuere, eò quod ſolis hominibus propria videatur. Si enim Ælianus laudat voracem *Aquilam* ob temperantiam, quod *ſitim patiatur, nec ſe pulvere volutet, ut reliquæ aves* (b): cur non eandem virtutem in Ulula ſuſpiciemus? Si *Apibus* eandem

(a) *Suſtine & abſtine* (b) *lib. 2. de nat. anim. cap. 11.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

dem virtutem adſcribit; quod ferantur eos odiſſe, qui à recenti Venere veniunt (a); Cur non majora hujus ſpecimina in Ulula proferemus? Illa enim eſt, quæ ex Ovo prima Temperantiæ rudimenta ejuſque fontem fomitemque hauſit; licet Ariſtoteles graviter contendat nullam virtutem natura inſitam eſſe (b): contrarium tamen evincit hoc ovum, quod præſentiſſimum intemperantiæ remedium eſſe atq; omnem ætatem ab ebrietate arcere ſupra è Philoſtrato aliiſque docuimus (c). Quod quidem ovum ſi hominibus ad temperantiam conducit, à quibus toto genere differt; multò magis Ululæ conducet, cui author eſt & parens. Nam juxta decantatũ Philoſophorũ axioma: *Qualis cauſſa, talis eſt effectus*. Et, *Quorum cauſſæ ſunt bonæ, ipſæ ſunt bona* (d). Niſi potius credendum ſit, egregiam illam Temperantiæ vim quæ

(a) *lib.* 5. *cap.* 11. (b) *lib.* 2. *Ethic.* (c) *pag.* 4
(d) *Ariſtot.* 2. *Topic.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

quæ in ovo nocturno latet, cum prima vitelli è poſteriorbus ejectione quoq; excerni: quod abſurdiſſimum eſſet. Nam quid Plinio fieret, qui memorat, *Eam novem dierum abſtinentia non lædi?* (a) Quod ſane haud vulgare continentiæ eſt ſignum ac cum miraculo conjunctum, quod non tantum cibo potuque novem dierum ſpatio abſtineat, ſed hac frugalitate ne lædatur quidem aut enecetur.

Ariſtoteles verò toti avium generi hoc commune, & reliquorum animantium reſpectu peculiare quoque eſſe tradit, *non bibere largius, niſi maximo detrimento* (b). Quod quidem non improbabile judico, cum nunquam mingant, quia renibus & veſica deſtituuntur: ideoque *δυσουρίᾳ* (c) non laborent, neque Uroſcopis, ſi forſan decumbant, opus habeant. Sed nec Veſpaſianus ſic ab iis tributum ſuum è lotio

(a) *lib.* 10. *cap.* 57. (b) *lib.* 8. *H. A. cap.* 8.
(c) *ſtranguria* (d) *Vide Sueton, in Veſpaſ. cap.* 23.

è lotio exigere potuit (*d*). Illud verò experientia comprobatum eſt, jumenta & quadrupedes ultra ſuam naturam vix edere aut bibere, paucis exceptis ex equino, ſuillo & canino genere. Ululæ tamen abſtinentiæ virtus ita congenita eſt, ut in ea & cum ea nata ſit. Quare ſicut columbæ Veneri intemperantiſſimæ Dearum ſacræ ſunt, eò quod frequenter bibant, (*a*) & ſæpè ut bibere poſſint, ſalem è medio ſalino rapiant, nullaq; re magis quàm ſalſugine alliciantur: ita contra Minervæ Immortalium temperantiſſimæ Ulula dicata eſt adeoque cara, ut Eubulo Comico Παλλάδος Πῶλος, *Pallados Pullus* dicatur, quaſi Pallas, innupta licet, eam ex ovo excluſerit. Imò & in tanta apud Athenienſes habita exiſtimatione, ut exemplum ſibi inde continentiæ & temperantiæ ſumpſerint.

Quippe

(a) 't Is ſoo veel / als gheeft de duyven eens drincken.

Quippe ut Eubulus de iis teſtimonium reliquit

—— Τοῖς Ἀθηναίοις λέγειν
Καὶ μικρὰ φάγεμεν, τοῖς δὲ Θη-
βαίοις μέγα (a). Et alibi:
Εὖ ῥᾶστα δὴ πεινῶσι Κεκροπι-
δῶν κόροι,
κάπτοντες αὔρας, ἐλπίδας σι-
τούμενοι (b).

Egregia certè inſtitutionis hæc ratio, ut etiam Athenienſium pueri Ululam imitari diſcerent.

——*Adeò a teneris aſſueſcere multum eſt.*

Sicut contrà *Voracitatis* & *Ebrietatis* vitia nonnulli prorſus è cunis & materno ſecum gremio adferunt, qui non edunt bibantvè ut vivant, ſed vivunt ut edant bibantvè. Planè juxta Ariſtophanis Comici ſententiam:

(a) Athenienſibus dicere in promptu & pauca edere, Thebanis verò multa. (b) Facilè ſane eſuriem patiuntur Cecropidum liberi, Auras captantes, ſpeque veſcentes.

Ζῆν εἰπέ μοι τί ἐστι; τὸ πίνειν φημ
ἐγώ (a):

Quam vitæ definitionem, ſi loqui poſſent piſces, in medio mari approbarent. Sicut & Boneſus olim, (*b*) de quo Aurelianus dicere ſolitus fuit; *eum non ut vivat natum fuiſſe, ſed ut bibat.* Quem nihilominus diu in honore habuiſſe fertur militiæ cauſſa. Nam ſi quando Legati Barbarorum undecunque gentium veniſſent, ipſis Boneſus propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta pernoſceret: ipſe verò quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius, & adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem, ut quantum bibiſſet, tantum mejeret.

Claudius Tiberius Nero eo uſq; ad *ἀκροτοποσίας* culmē pervenit, ut pro impoſito ei trinomine hoc ſubſtituerint;

(a) *Vivere quæſo quid eſt? Bibere inquam ego*
(b) *teſte Spartiano.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

rint, CALDIUS BIBERIUS MERO (*a*). Et nos quoque in illa tempora incidimus, ô Ululantes! quæ immane quantum à temperantia Ululina degenerant. Ubi tot Caldij, tot Biberij, tot Merones ſunt, quot Ululæ? neque tamen Ululæ, cum ſint intemperantiſſimi. Quid? An ullum certamem glorioſius eſt hodie aut familiarius quàm poculorum?

Pocula pota placent, decieſque epota placebunt (*b*).

Expendite enim mecum, Patres nocturni, annon hæc ſunt illa tempora, quæ jamdudum Romanus ſapiens prædixit. *Habebitur*, inquit, *aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepiſſe virtus erit* (*c*). Videtis prophetiam, videtis & impletionem. Nam qui magis honorantur hodie, quam iſti

Et potare pares & reſpondere parati?

(a) *Sueton. in Tiber. cap.* 42. (b) *Taubmani in luſu Bacchanaliorum*, (c) *Seneca Ep.* 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Quæ virtus major eſt atque illa intemperantia? ſine qua, qui religioſi ſunt, ſuperſtitioſi vocantur; qui fortes, auſteri; qui patientes, ſine ſenſu; qui conſtantes, pertinaces: ut nullus ſudor externus cum interno liquore amplius certare poſſit. Uſque adeò

NUNC EST BIBENDUM *(a)*.

O tempora ergo! ô mores! Sed & ô terræ & regiones noſtræ! quæ antiquitus huic vitio deſtinatę hodie conſtanter in eo perſeverant. Vos enim Germanos appello, Vos ad Aquilonem expoſitos Belgas. Tacitum audite de antiqua Germania veſtra;

Diem noctemque continuare potando, nulli probrum (b).

Hoc eſt illud ſcilicet, quod etiamnum tanta cum laude canitis;

Evacuare ſcyphos noſtri potuere parentes;
Poſſumus & noſtros evacuare ſcyphos.

Hanc

(a) *Horat. lib.* I. *carm. od.* 37. (b) *de morib. German.*

Hanc ſitim in educanda infantia ſtatim accenditis. Pueris enim (*a*) ab ubere pendentibus lactis deſiderium per lagunculas iſtas, quas **pijpkannen** vocant fœminæ, minuitis; quas rudis & curioſa ætas ſubinde ad os referens tardè meantem potum ſugendi ſimilitudine capit & innocentis otij faſtidium levat. Mox aſſidua bibendi ratio ipſo uſu in perpetuam voluptatem tranſiens ſubindè palati aviditatem ſolicitat, ſemper utique poſt hunc morem aut natantem aut arentem. Et quia potus conditio craſſo liquore identidem faucibus aliquid relinquit, quod ſuccedenti potu diluendum ſit; hinc illa perpotandi dulcedo, hinc aſſuefactis & robuſtis corporibus illi vitio pares eſtis & hauſtas inter convivia nebulas mirabili felicitate exſolvitis, adeo ut in multam noctem producta temulentia poſtero mane pigritiam non imponat.

(a) *Barclajus in icone animor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

An igitur Ulula noſtra ſic nata, ſic educta eſt? Quæ malum ergo veſania eſt, ut cum bibere vultis, intemperanter ex Ululinis ſcyphis bibatis? ut ſobrietatis magiſtram ad ebrietatis inſtrumentum adhibeatis?

Intereram nuper convivio ſatis madido, cum pulcerrimum venuſtiſſimumque poculum argenteum adductum eſt, forma planè Ululina, quæ tam propè ad Ululam accedebat, ut ſi equus fuiſſet, equum ad hinnitum provocaſſet: neq; tamen noſtra tunc Ululare poterat: adeo os ei & ventriculus vino repletus erat; quod per roſtrum nonnunquam compreſſis labris exſugebatur, nonnunquam deducto rictu per caudam ex parte minus decora hauriebatur, maximo cum riſu illorum, qui ſe proluebant iſtis deliciis.

—— —— *Illud ſis vide*

Exemplum diſciplinæ inquam! —

Et in hoſpitem converſus inquiro, cur Liberi liquorem tàm ingenioſè nobis propinaret, quaſi lac Ululæ eſſet?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Ille ſe hoc modo excuſare pergit. Tolerabilius (inquit) eſt, argentea bibere Ulula, quam vitreo Priapo. Non enim ſolus Juvenalis eſt, qui dixit

——— *Vitreo bibit ille* Priapo (*a*).

Vidi qui apud nos etiam tam inceſtuoſis poculis bibunt, ut Bacchum Veneremq; ſimul hauriant. Sicut & milites ex vitreis ſclopetis aut ligneis ocreis Martem imbibunt. Alij in ipſis poculorum pedibus talos habent vel teſſeras, quas concutiunt, ut intelligant

——— *uem Venus arbitrum*

Dicat bibendi. (*b*).

Alij alias formas laſciviendi in vino reperere. Quod ego domi meæ nunquam tolerabo.

Natis in uſum militiæ ſclopis

Potare uolo. ——— ———

Itaque cum nullum animal noſſem, quod altiori ſapientia ad ſobrietatem homini præire poſſet, quàm Ululam,

 ſcyphum

(a) *Satyr.* 2. (b) *Horat od.* 7. *lib.* 2.

ſcyphum hunc Ululinum protulit. Bene factum, inquam. Cur ergo hic decies obambulavit inter convivas? Quid illi miſeræ nunc animi eſſe credis? quæ cum nunquam inter aves

—— Generoſum & lene requirat
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas animumque ſuum, quod verba miniſtret,
Quod ſe Lucanæ juvenem commendet amicæ (a),

nunc extra & intra penitus madere cogatur. Certè ſi verum eſt, quod de Archyta Tarentino dicitur, ligneam columbam volatilem feciſſe; quàm optandum eſſet, ſi idem noſtræ argenteæ contingere poſſet? cum omni mero ſe libraret in auras, & aufugeret è triclinio.

Sed quid remedij, Patres Conſcripti? ſatis diu enim hoc vitium deploravimus. An vos quoque potius de

(a) *Horat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

de vino Cos, aut pinguiori cereviſia conſulitis, quàm de remedio intemperantiæ? Certè ſi mihi παῤῥησιάζεσθαι (a) apud vos licet, quos probè novi, ſcio vos libentius nobiſcum aſpergi flore Liberi Patris quàm aquâ luſtrali. Niſi ergo à nomenclatura Ululantium recedere vultis, quia jam mores ſunt, quæ fuerant vitia, illud Græcanicum cogitandum eſt, ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι (b). Sin minus, faxo ut ex ovis Ululinis bibatis in poſterum vinum aduſtum & ex cranio capitis cereviſiam, atque è tibiis Tabacum exſugatis; ut ita ſenſim ex tam parvis poculis diſcatis obſervare

——— *Quid ferre recuſet,*
Quid valeat ſtomachus.

ut quemadmodum Sertorij miles caudam equinam depilavit ſenſim carpendo, ſic & vos pedetentim ac per intervalla ebrietatem dediſcatis: cum omnis ſubitanea mutatio ſit periculoſa,

 riculoſa,

(a) *libere eloqui* (b) *Aut bibe, aut abi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

riculoſa, præſertim in diæta & valetudine.

Cæterum non una tantum Temperantia, quæ ſobrietatis ſpecies eſt, ſed & altera, CASTITATE, inſignis eſt Ulula; eò quod non de die, ſed noctu tantum & in opaco compari miſceatur: ubi τὸ πρέπον (a) cum hominibus ſervat. Non enim homines, ſed canes verè dicuntur Cynici iſti Philoſophi, quos Auguſtinus (b) *contra humanam verecundiam caninam protuliſſe ſententiam* refert; *ut ſcilicet, quoniam juſtum eſt, quod fit in uxore, palam non pudeat id agere, nec in vico, nec in platea conjugalem concubitum devitare.* Quid verò magis contrarium eſt caſtitati, quàm reddere in publico obſcæna ſine pudore & coram iſto Sole cum Abſolomo nequiter laſtivire, atque congredi cum concubinis in tecto ante oculos totius Iſraëlis (c).

De

(a) *decorum* (b) *lib.* 14. *de civit. Dei, cap.* 20.
(c) 2. *Sam.* 12, 11, & 16, 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

De nautis verò quid dicam? Qui quot portus occupant, tot etiam Uxores invadunt. Quid de militibus & peregre profectis? Urias ſanè (ſingulare continentiæ exemplum illis reliquit (*a*), qui è bello & diſſitis regionibus reduces & moræ impatientes cum ocreis & calcaribus in Venerem ruunt.

Illud verò in hac noſtra quiſpiam reprehenderit, quod ſanguinis propinquitatem in coitu non uſque adeo attendat. At hoc Deorum Dearumq; exemplo facit.

---- DI nempe ſuas habuere ſorores,
Sic Saturnus Opim junctam ſibi ſanguine duxit,
Oceanus Thetim, Junonem Rector Olympi.
(b) At quem Deum! qui templa cœli ſumma ſonitu concutit:
Et Ulula noſtra hoc non faceret? Illa verò illud ita facit, ac lubens

(a) 2. Sam. 11. 11. (b) Ter. Eunuch. act. 3. ſc. 5.

Laudanda ſanè quod nonniſi juſta ætate hoc facit, cum reliqua ſalacior turba ſæpè antè annos laſciviat. Gallum vidi menſtruum, cum matre ſua vigilantem, de die id agere, quod Julius Cæſar ſe noctu in ſomniis agere putabat. Hem, inquam, *ille etiam ſcit, quid meretrix ſiet* ! (*a*). O tenerum nimis Oedipodem cum robuſta matre Jocaſta !

Sed quis quæſo omnes Ululæ virtutes in univerſum cogere, aut enucleatim ſingulas percenſere poſſit ?

Non noſtri ingenij eſt, oras evolvere
laudum
Tantarum, meritiſque Ululam celebrare Camænis.

Aliquas vobis objicere & cogitandas relinquere neceſſe habeo, aut ſicut pictor è longinquo oſtendit, quæ per diſtantiam gratiora ſunt: ita ego vobis ex alto monſtrabo, quæ proximitate ſua nimis excreſcerent.

CON-

(a) *ibid. act. 5. ſc. 6.*

CONCORDIAM enim & AMICITIAM vultis? Quis de illarum νυκτομαχία (a) legit vel audivit unquam? Quod ſolum argumentum Lucani eſt, deſcribere (b)

Bella per Æmathios pluſquam civilia campos,
Non Ululas, ſed Romanos, populumq; potentem
In ſua victrici converſum viſcera dextra,
Cognataſque acies, infeſtiſque obvia ſignis
Signa, pares aquilas & pila minantia pilis.

Amiciores hic Ululis Ululæ ſunt, quàm Romani Romanis. nullam enim hiſtoriis & Annalibus materiam ſuppeditant belli civilis: ut magna pecudum & volucrum ſæpè turba fecit, quæ inter ſeſe confligunt, & in propriam ſpeciem infeſtis unguibus inferuntur.

(a) *pugna nocturna.* (b) *lib. 1. belli. civil.*

JUSTITIAM ne nominare quidem audeo, niſi quod in oculis honeſtè vivere, in unguibus neminem lædere, in roſtro ſuum cuique tribuere, omnibus Ululis inſcriptum ſit.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν. H. e.

Juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.

DE VERITATE & SINCERITATE quis in dubium vocat?

—Animal ſine fraude doloque eſt,
Innocuum, ſimplex.

Quis unquam mendacij eam inſimulare, nedum convincere potuit? adeò ut quod vulgo de vacca dicitur, eam mentiri non poſſe, magis de noſtra verum ſit: ἀψευδὴς γὰρ (a).

Ψεῦδος δ' οὐκ ἐρέει· μάλα γὰρ πεπνυμένος ἐστί. (b).

De MODESTIA planè tacerem, ni Reges & monarchas iſta virtute provo-

(a) *Abſque mendacio eſt.* (b) *mendacium non pronuntiabit: eſt enim admodum prudens. Ex Homero.*

provocarent Ululæ. Nam cum nihil dulcius ſit voce DOMINI & DOMINATIONIS VESTRÆ; adeò ut Politici & Eccleſiaſtici Dominationis titulum avidiſſimè arripiant, Ululæ cum Auguſto (*a*) ſe Dominas appellari ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis vel ſeriò vel joco patiuntur: imò quod extraneas aves ſuſpiciant & ſe præſtantiores judicent, de ſeipſis & humillimè ſentiunt, & propterea caput oculorumque palpebras demittunt: ſicut in contrarium *invere-cundi ſignum oculus apertus* ab Ariſtot. (*b*) ſtatuitur. Quod ſi Maximilianus I. Imperator ſciviſſet, certè inter Reges ſui temporis Ululinæ Modeſtiæ meminiſſet. *Tres Reges ſunt* (inquit) *hoc tempore. Unus eſt Rex Hominum, alter Aſinorum, tertius Rex Regum.* Rex Hominum eſt Rex Hiſpaniæ, qui adhuc moderatè regnat & ſentit ſe præ-
eſſe

(a) *Sueton. in Aug. cap.* 53. (b) *phyſiog. cap.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

eſſe hominibus (*a*). Rex Aſinorum eſt Rex Galliæ, cujus ſubditi omnia onera, quæ ipſis imponuntur, ut aſini patiuntur. Tertius Rex Regum ego ſum: nam quilibet meorum ſubditorum vult eſſe Rex & Dominus.

Sed quo dilabor? Jamdudum ſilendum erat, niſi SILENTIUM adhuc Ululæ verbum meum requireret. Pſittaci nobis ob loquelam: ut Ululæ ob taciturnitatem gratiores ſunt, licet cum Pſittacis, ſi vellent, certare poſſent: tamen

Rarus ſermo illis & magna libido tacendi (*b*).

Quæ quidem virtus in iis tanta eſt, ut eam in media quoque morte non relinquant. Longe aliter ac Rex Priamus.

Hic Priamus quanquam media jam morte tenetur;
Non tamen abſtinuit, nec voci iræque pepercit (*c*).

Atque

(a) *Quantum mutatus ab illo Hectore.* (b) *Juvenal.* (c) *Virgil. 2. Æneid.*

Atque hæc cauſſa eſt quod duo Pſitci cum una Ulula divenditi ſint eodem pretio, quod hæc noſtra tantùm ſcire crederetur, quantum illi loquerentur. Nam ſi in ſacris etiam ſtultus per ſilentium pro ſapiente habetur (*a*), quantò magis tam ſapiens & ſagax Avicula? Notum eſt illud; *Si tacuiſſes, Philoſophus manſiſſes.* At hæc noſtra tot jam virtutes ſuas Philoſophico ſilentio claudit & coronat, ut Silentij propterea exemplar conſtituatur.

Veterem picturam vidiſſe memini, quæ regem Alexandrum Magnum, Hephæſtionem & Ululam repræſentabat. Ab uno latere ſtabat Alexander, ab altero Hæpheſtion; cujus ori Rex annulum ſeu ſigillum ſuum imprimebat in ſignum ſilentij; Ulula in medio cum hac inſcriptione.

S. T.

(a) *Prov.* 17.27.28.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

S. T.

Quæ duo Elementa veteribus notæ ſilentij fuerunt. Explicatio tamen adjecta erat utrinque hoc hemiſtichio.

S. Jubet, ut ſileas. T. Jubet, ut taceas.

Rationem picturæ adderem, cur Ululæ præ cæteris volucribus Silentium attribuatur, niſi Aſina Bileami (*a*) Boves Romani, Canes, Serpentes, Galli gallinacei aliaque animantia (*b*) clara diſtinctaque voce prohiberent, & pro typo atque exemplari ſilentij & taciturnitatis eam haberent. Nam quia neque garrula, neque obſtrepera eſt, etiam in Templis ei religio magis concreditur, quàm vel hirundini loquaculæ vel aliis aviculis: *Tutum enim ſilentij præmium.*

Eat nunc aliquis, & Ululam non bonam eſſe clamitet, quæ tot jam tantiſque

(a) *Num.* 22.28. (b *Vide Auguſt. de Civ. Dei. lib.* 3 .*cap.* 31. *Fulgoſ. lib.* 1, *memorab. c.* 4.

tiſque viribus BONA probata eſt, quibus unquam à Philoſophis VIR BONUS exiſtimatur. Melior certè multis *Bonifaciis* hactenus, qui tantum boni non fecerunt, quantum nomine ſuo promittebant ſcilicet.

Sed quia in eo verſamur adhuc, ut laudem ejus abſolutam ponamus; quia bona eſt, non poterit ſibi ſolum bona eſſe, niſi & nobis. Notum eſt vobis, Patres, Veteres Philoſophiæ proceres ex utilitate honeſtatem metiri ſolitos fuiſſe, virtuteſque ex utriuſque pondere æſtimaſſe. UTILITATEM igitur huic Alumnæ veſtræ non exiguam ineſſe oportuit, quæ tantopere deprædicata fuit.

Ac primo quidem illud extra omnem dubitationis aleam pono, quod ingens & incomparabile bonum mortalibus conceſſum ſit, cum Sol, Luna & Stellæ concederentur ad obſervationẽ & diſtinctionẽ temporũ, ſicut ex Geneſi (*a*) planum

(*a*) *cap.* 1.14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

planum eſt. Hinc eas alloquitur Poëtarum princeps

—— Vos ô clariſſima mundi
Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum.

Ulula vero, Sole occiduo, Luna ſilente, reliquiſque ſideribus necdum apparentibus, vicariam operam præſtat, ut tempus illud quod ſub crepuſculum incidit, ab ejus volatu dignoſcatur & denominetur NOCTUÆ VOLATUS, dicaturque aliquid accidiſſe ſub Noctuæ volatum (in de Uylen-Vlucht). Quam utilitatem niſi præſtaret, hoc certè tempus ἀνώνυμον (a) eſſet, ut ipſi fatentur Poëtæ qui ὀνοματοποιεῖν (b) ſolent:

—— Lucem inficit umbra,
Umbraque mixta die eſt: dubitat nomenque viator
Quærit & imponit dubium pro tempore nomen.

Nam

(a) *abſque nomine* (b) *nomina imponere.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Nam quæ illi de ſuo afferunt,

Qualia ſublucent fugiente crepuſcula Phœbo,

Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies (a).

nimis vaga, & incerta ſunt indicia. Certius illa hoc tempus definit, quæ cum luce diurna delituit, tunc in lucem ſeu potius tenebras prodire & evolare ſolet. Quam vetam eſſe cauſſam arbitror, quare Athenienſes teſte Plinio (*b*), *dies ſuos ab occaſu Solis numerarint*, diem incipientes à noctuæ ſuæ volatu.

Qui autem apud nos Ululam in eo imitantur, quod hoc tempus initium voluptatum ſuarum ſtatuant & nequitiarum, nec utile nec laudabile præſtant, *facientes de die noctem, & de nocte diem, ſtatuentes tenebras pro luce & lucem pro tenebris* (*c*). Quod etiã Heliogabalũ factitaſſe inter monſtra Imperatoria

(a) *Ovid.* (b) *lib.* 2. *cap.* 77. (c) *Ieſa.* 5. 20.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ratoria narrat Lampridius (*a*): *trajeciſſe dierum actus noctibus & nocturnos diebus, æſtimantem hoc inter inſtrumenta luxuriæ: ita ut ſero de ſomno ſurgeret & ſalutari inciperet, mane autem dormire inceptaret.*

Accedit huic alia non minor utilitas, quæ ex Ululæ VENATIONE habetur, dum naturali impetu in *mures, gliresque* fertur, quos illa quidem in agris & domibus melius venari poteſt, quàm apros in medio mari. Quæ cauſſa eſt, quod à nonnullis magni nominis viris & matronis pro fele ob eximiam hanc utilitatem domi alitur. Notum eſt enim omnibus, quàm infeſtum & odioſum animal ſit MUS, ſive majorum ſive minorum gentium. Nam ut omittam, quod *mus*

Puſillus tam ſit audax beſtia(*b*).

ut hoſtis & domitor ſit elephanti, animantis tam vaſtæ & portentoſæ magnitudinis; ad cujus conſpectum cohorreſcit

(a) *in ejus vita.* (b) *Plautus.*

horreſcit Luca Bos, auditum tremit, odorem fugit, imo & pabula à muſculo contracta non audet attingere: etiam hominum fruges annonamque conſpurçat & conſumit, *idque tam ſubito & inaudito modo, ut brevi temporis ſpatio parum ex univerſo frumento relinquatur* (a). infeſtat domus, horrea, cellas & thalamum ipſum, quin & aurata Regum laquearia & templa ſacrata corrodit ac comminuit, linea & lanea, cibos & libros abſumit, imò & *in Cypro ferrum, in alia verò inſula aurum. Quin & clypeos argenteos Lavinii arroſit* (b), *ideoq; in metallis diſſecatur, exciſaque alvo ſemper ibi furtum deprehenditur*: id quod naturæ ipſius miraculum, & quem Scaliger Aquilam ingenij humani dixit, inter mirabilia tamen numeravit. (c). Denique hoc animal in perenni eſt inquietudine, ſtudetque tàm importunè, ut non raro noctis quietem

(a) *Verba ſunt Plinij*. (b) *lib 8. cap. 57.*
(c) *Ariſtot. in moralib.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

quietem turbet in ipſo hominum lectulo.

Et quaſi hoc parum ſit, homines exigere lectulo, conſtat Plinij teſtimonio *plurimos aliquando mures ad Troadem perveniſſe, atque incolas fugaſſe* (a). &c. Et ne quid ad ſummam deſit tyrannidem, ipſum tandem hominem devorat: Popielum nimirum Poloniæ ducem & Widerolphum Argentinenſium Epiſcopum, nec non Hattonem cognomento Vonoſum quondam infauſtæ memoriæ Moguntinorum Epiſcopum, quem virum in medio Rheno turmatim aggreſſi mures devorarunt, ejuſque nomen è parietibus & tapetibus abraſerunt, ut me, cum hæc lego, non contineam, Patres, quin exclamem:

Damnoſi quid non imminuunt mures!

At in ea re utilitatem ego faciam ut cognoſcatis Ululæ, quæ humanum genus ab his detrimentis & incom-

modis

(a) *lib.* 10. *cap.* 65.

modis (dummodo hæc incommoda ſint dicenda, & non peſtes potius & infelicitates meræ) liberat & recreat. Hæc eſt enim, quæ toti huic generi infenſa, favente Delia, eos venatur, fugat, perſequitur, capit & dilaniat, non aliter quam canes venatici feram inſectantur, quos ob venationem *Generoſos* vocant. Quanquam horum etiam canum generoſitas major ſæpè eſt quàm utilitas, dum relictis leporibus, canibus & apris, quorum eſculenta caro eſt, urſos & pardos inſectantur, aut nobiliori ferocia in leones & elephantos irruunt, qui magis in theatro oſtentantur quàm in culina conducunt. At hæc noſtra dubitetis an generoſior an utilior ſit in perdendis muribus, dum Elephanti hoſtem & domitorem aggreditur, fundit ac proſternit. Itaque quàm verum eſt quod Ἐλέφας μῦν οὐχ ἁλίσκει (a), tam falſum eſt de Ulula, quæ mures

(a) *Elephas non capit murem.*

capit & hoc nomine generoſiſſima & utiliſſima eſt. Etenim juxta Ariſtotelem; *A termino ſimpliciter ſumpto ad terminum ſecundum magis & minus valet conſequentia.* Si ergò Elephas eſt generoſus, ejus domitor erit generoſior, & ſic Ulula domitoris domitrix generoſiſſima. θαύματα ϗ τέρατα (*a*).

Neque vel minimum ſenectus ex hac utilitate nobis imminuit, ut Ulula ſe cum muſtela farinæ involvere cogatur. Sic enim nonnunquam mures evaderent, eamque eluderent.

(b) Muſtela cum annis & ſenecta debilis
Mures veloces non valeret aſſequi,
Involvit ſe farinæ, & obſcuro loco
Abjecit negligenter. Mus eſcam putans
Adſiluit & compreſſus occubuit neci:

Alter

(a) *Miranda & prodigioſa.* (b) *Phœdrus in fabel.*

Alter ſimiliter deinde perit & tertius.
Aliquot venit ſeculis reti territus,
Qui ſæpè laqueos & muſcipulas effre-
gerat,
Proculq; inſidias cernens hoſtis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ
jaces.

Videtis ergo, quanto ſit utilior hominibus Ulula, quàm muſtela, quæ in ſenectute farinam nobis corrumpit, neque tamen mures capit.

Tametſi verò propero, Patres, non poſſum tamen cum ſilentio prætermittere VESPERTILIONES, quos quidam inter murium ſpecies recenſent, ab hac noſtra quoque inſtar murium capi & conſumi. Quàm verò noxia & crudelia hæc ſint animalia ex eo patet, quod carnes, quas homines ad victum expetunt, & ſibi condiunt, abripiant & furentur. Quamvis autem Plinius (a) *culices quoq; in cibatu veſpertilionibus gratiſſimos eſſe* ait,

a) *lib*, 10, *cap*. 61.

ait, tamen hunc cibum nemonoſtrum invideret illis, ſi carnibus & lardo abſtinerent, perniſque perniciem inferre deſiſterent. Quas cum corrumpant, abſumant, ſuccidiaſque excavent, imò & in iiſdem nidulentur, indeq; fœtus ſuos alant, hoc commodũ præſtant hominibus Ululæ, ut veſpertilionibus adeo non infeſtentur. Sine quibus ſi eſſetis, Patres Ululantes, tot veſpertiliones in aëre ſub crepuſculum volarent, quot videtis atomos in radiis ſolaribus. Quod incredibile quidem vobis videtur. Sed incredibilius fortaſſe quod veſpertiliones quidam in locis quibuſdam remotis cibis humanis non contenti, ipſos homines aggredi non verentur: *Quorum de nocte dormientium membra veſtibus nudata adoriuntur, roſtroque vulnerant humani ſanguinis exſugendi gratia, idque tanta copia, ut duos ſextarios noſtrates plerumque antequam videantur, ebibant* (a).

Imo

(a) *Lerius in hiſtor. navig. in Braſil.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Imo vero *cum particulis carnis, humanæ mordicus avulſis evolare ſoleant* (a) Quod procul dubio ſignum eſt, ibi pauciores Ululas eſſe atque apud nos minuſque utiles. Gaudete igitur mecum, Patres, quod in noſtris provincijs tam diris & crudelibus volucribus non infeſtemur, ſed & gratias agite Alumnæ veſtræ, quæ vos à tam peſtiferis inſidiis & morſibus tutos hactenus & inviolatos præſtitit.

Ut verò à Venatione ad AUCUPIUM eamus, quis neſcit, utiliſſimam aucupandi operam hominibus præſtare Ululam? dum aucupes ejus miniſterio omne genus alitum in viſcum ſuum aut caſſes trahunt. Conſtituunt nempe eam eleganti in ſtipite, ubi vix per momentum ſola eſt, quin ſtatim ingenti turba & comitatu circumcincta ſtet: Sola omnibus miraculo propter ſpeciem de die inuſitatam. Interim dum oculos omnes in Ululam

(a) *Stadius part. 3. Braſil.*

ſigunt, & illa cum Minerva ſua Trojana

— *Solo fixos oculos averſa retorquet*, pedes omnium atque alæ in viſco hærent, aut caſſibus involvuntur: Advolat auceps, dat omnes letho, & Ululam liberat. Sic igitur ut Ulula capta eſt ad vitam, ſic reliquas aves capit ad mortem, & juſta talionis lege (nutritijs ſuis perſolvit hoc beneficium. Videtis ergo hac quoque in parte gratitudinem alitis hujus, quæ in aucupio vobis altera manus eſt, per quam] non minus volucres, quam per homines Simias capere poteſtis: qui ſane non exiguus operæ fructus eſt. Unde media nocte in hæc verba erupiſſe ipſa fertur: (*a*).

Γλαὺξ μὲν ἐγὼ, κότος ἀργάλεος, πάντ' ἔθνει πτηνῶν
θυμὸν ἀνίκητον στήθεος ἐντὸς ἔχω.

Oπ-

(a) *quod Epigramma* Iacobo *Mycillo attribuitur ejuſque interpretatio Reuſnero.*

Ὁππότε τοὺς ἄλλους γλυκερὸς πε-
ριβάλλεται ὕπνος,
Ἡ μελέτης ἄγρης, δῶρα μέγιστα
φέρω.

Quod aliæ aves ita reddiderunt:

Sim quamvis odium toti volucrum
grave genti,
Invictum cordis pectore robur alo.
Nam volucres alias cum ſomnus de-
tinet altus,
En prædæ noſtræ maxima dona
fero.

Et quis non propterea eam colſaudet; cùm totus fere mundus idem in Romana Venatura (exceptis paucis hæreticis) miretur & deprædicet:

Hoc eſt Roma viris, avibus quod No-
ctua: trunco
Inſidet, & tanquam volucrum regina
ſuperbis
Nutibus à longe plebem vocat: inſcia
fraudis
Turba coit, magnos oculos mirantur,
& aures,

Grande caput, roſtrique minacis acumen aduncum,
Prædaque ſunt omnes, verubus torrenda ſalignis. (a)

Tametſi, ut hoc obiter addam, ad capturam piſcium non adeò habilis ſit ſicut aves Gaviæ & reliquæ volucres aquaticæ, eò quod magis Elemento ſuo proprio gaudeat quàm alio. Jam verò Quintilianus teſtatur; *Facilius eſſe ſecundum naturam quàm contra eam vivere.* Et quomodo hæc aëri & Atticæ regioni primum aſſueta barbarum hoc elementum ferre poſſet, quod è Græculorum ſuorum traditione ſpiritum ſimul cum corpore extinguit? (*b*)

Quanquam autem beatitudo ejus vix unquam permittat, ut in lacrymas ire cogatur animal tantæ præſtantiæ, (*Neque*

(a) *Mantuanus.* (b) *Vnde Ovid.lib.*1.*Triſt. eleg.* 2. Non lethum timeo, genus eſt miſerabile lethi: Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

—(*Neque enim cæleſtia tingi*
Ora licet lacrymis) (*a*)

tamen ſi ei hoc contigerit commiſeratione aliorum, ferunt lacrymas ejus non inutiles eſſe in re medica, ſed ſi quis iſtis ſe inungere velit, æquè de nocte ac de die videre poſſe. Hoccine vobis videtur memorabile, Patres, ut quod viſum lacrymantium maximè corrumpit, id alterius viſui medicinam faciat? Et annon ipſe Apollo Deus ille medicus, Deus opifer, ULIUS appellatus eſt? (*b*) Quod qui ignorat, nondum divinum illud Homeri intelligit (*c*):

Οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε, θεοὶ δέ
τοι ὄλβια δοῖεν.

Atque hæc cauſſa eſt, cur in omni ſupplicio, (quod tamen nunquam aut rariſſimè meretur Ulula) non mors, ſed deplumatio conſtituatur; ut utilitatem adhuc ſuam in muribus capiendis avis

 calva-

(a) *Ovid* 2. *Metam.* (b) *teſte Herodot.*
(c) *Odyſſ.* 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

calva & implumis oſtendere queat. Quod ſi quis adeo feſtivus ſit, ut plumas illas in cervical ſuum reponere velit, næ ille fauſta ſomnia habebit! Neque enim unquam cum Domitiano ſomniabit, quod Minerva ſacrario exceſſura ſit, (*a*) cujus exuvias ſub capite tenet.

Sed ne vivam tantum in uſu medentium eſſe putetis, etiam mortua utiliſſima eſt. (Doleo illud porcis etiam commune eſſe, ſed gaudeo, porcos tantum mortuos utiles eſſe) *Fel ejus* à Plinio noſtro prædicatur *ad oculorum albugines, ſuffuſiones & caligines depellendas, Adeps ſimiliter ad eorum claritatem conducere* (*b*). Remedium ſanè, quod omnia Medicorum circumforaneorum emplaſmata & embammata vincat. *Ala vel pes mortuæ abſciſſus ſi ſuſpendatur in cancellis, tanta virtutis eſt, ut columbas abigat, ne granaria infeſtent.* Quod licet etiam de pede

(a) *Sueton, in Domit.* (b) *lib.* 28. *cap.* 6.

de felino prædicent quidam, hoc tamen noſtro multo efficaciſſimum eſt. *Hortorum quoque custodiæ, alas affixas portæ vel parieti, plurimum conferre* naturæ Conſulti prodiderunt (*a*).

Sed quid de partibus tam ſcrupuloſè loquor, cum totum vobis uno intuitu, imò menſa & catino apponere poſſim? Caro totius Ululæ eſculenta & convivalis eſt. An ullus veſtrum meus conviva ad iſtas delicias eſſe velit, dubito. Memini tamen à duobus Patribus noſtris ejuſmodi convivium inſtitutum eſſe, Ululamque & picam diligentiſſimè toſtam. Tum generum ſocero ſuo appoſuiſſe Ululam tanquam digniorem, ſibi pro modeſtia ſua picam ſervaſſe. Exultaſſe ſenem edentulum inter media fercula, nullamque ſibi columbam adeò ſapidam fuiſſe viſam. Plura ejus generis convivia narrare poſſem, quæ ſine Cerere & Libero ſæpius de viſceribus ejus

(a) *Vide Columellam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

habita ſunt, cum maximo gaudio diſcumbentium & præmio coquorum. Eant nunc Glauco-maſtiges & vituperent noſtram, quod parum utilitatis adferat, quæ nec viva nec mortua utilis eſſe deſinit. Qui ſi chiragra, vel gonagra, vel podagra laborarent, longè aliter ſentirent, cum remedium ab eſu hujus volucris petendum eſſet.

Unum ſupereſt, Patres, quod condimentum reliquorum eſt, & veluti Bellaria, Ululina JUCUNDITAS. Sanè hæc anima eſt ac vita omnium actionum ejus, quæ veram laudem merentur: ſine qua ne caro quidem ejus ſapere poſſet. *Dulcis animi affectio*, *quæ* Cicerone teſte *voluptatem honeſtam* affert: ſine qua qui vivit, non in vita, ſed præter propter illam vivit. Id ita eſſe Antalcidas Lacedæmonius probè intellexit, qui rogatus, *quo pacto quis maxime placere poſſet hominibus?* reſpondiſſe fertur: *Si præſtet utiliſſima, loquatur autem jucundiſſima.* Ponite enim mihi virum genere nobilem, ſapi-

entia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

entia clarum, virtute excellentem, & utilitate præſtantem? at unicam converſationis jucunditatem tollite, ſuſtuleritis omnia.

Erat Cato nobilis, ſapiens, gravis & Romanæ rei utilis, ſed jucunditate deſtitutus, cum ſupercilium Cenſorium non poſſet ponere, ſolus ipſe è theatro migravit.

Noſſes jucundæ dulce cum ſacrum
Floræ,
Feſtoſque luſus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſevere veniſti?
An ideò tantum veneras, ut exires? (a)

Tales autem, etiam cum jucundi eſſe volunt, non poſſunt; niſi cum Terentiano Demea non tria tantum ſed centena multa præter naturam addant. (b). Nam & Cato riſiſſe, ſed ſemel, dicitur; & pila luſiſſe, ſed tempore importuno, cum repulſam à populo Romano tuliſſet.

Ulula autem noſtra, non jucunda,

(a) *Martial.* (b) *in Adelph.*

ſed ipſa eſt jucunditas, & propterea in ædibus Magnatum & Principum alitur & in ſummis deliciis habetur Diis ac hominibus carum caput. Non ventilabo hæc graviter, Patres, ſed luſorijs armis hanc cauſam apud vos agam.

Aſpicite mihi, ſi lubet, ſuaviſſimam illam formam vultus Ululini: faciē, felis inſtar, rotundam; capitis, jam ad dexteram, jam ad lævam, inflexionem; oculorum glaucorem, & ſemipætam diſtorſionem, eorumque nebuloſam, ac ſi ſemper ſomniculoſa eſſet, conniventiam; aſpectum verecundum, blandum ac lepidum; ſuperciliorum nunc dejectionem, nunc exporrectionem, dum cum Ulyſſe ſibi cognomine

—- Oculos paulum tellure moratos
Ad proceres tollit, (a)

quaſi de re quapiam vehementiſſimè cogitabunda.

O lepidum caput!

Con-

(a) *Ovid, Metamor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Conſiderate, ſi volupe eſt, roſtrum ejus, inſtar naſi ſimi, compreſſum, & aduncum, quo vel ſuſpendi poſſet, e-juſque, ſi propius accedatur, dum ſibi cavet, crepitationem; ſi inſtetur, unguium curviſſimorum, harpyarum inſtar, oſtentationem, quibus mox periculo exempta caput ſcalpit, ubi forſan non dolet.

O qualis facies, o quali digna tabella?

Recognoſcite mecum, ſi vacat, ventrem ejus plumeum, ſilva quaſi plumaria prominentem, ac ſi perpetuò uterum geſtaret; & nihilominus ſeſſionem ac ſtaturam cum homine Platonico erectam: quin denique totius corporis venuſtiſſimam diſpoſitionem.

Ειδωλοποιεῖτε, nî grave, cætera naturæ mirabilia, quæ ſuavem ejus aſpectum reddunt: comperietis certò, illam inter monſtra & terriculamenta puerorum non eſſe numerandam, quibus ad lectum abiguntur infantes, *ludibria naturæ,*

Quæ genuit, quoties voluit natura jocari.

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ſed verum ἡδύτητος χῆμα (a), & perfectum pulchritudinis exemplar in ea habebitis, in quo quicquid vel pavonibus glorioſis, vel pſittacis auratis, vel aquilis generoſis, vel columbis ſimplicibus deeſt, ſuppletum eſt. Quo quid jucundius?

Eleganter hanc in rem Cicero (*b*), *Pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum movet & delectat, hoc ipſo quod inter ſeſe omnes partes quodam lepore conſentiunt* (*veluti in Ulula* addendum erat) Neque vel hilum virtutem ejus homines æſtimarent, ut ſunt perverſa ſæpe judicia, niſi tam exquiſitè pulchra foret. Nunc verò

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Quid enim hæc omnia ſpirant, quàm jucunditatem & oblectamentum? ut ipſa natura in hac volucri formanda luſiſſe & ex compoſito ad feſtivitatem compoſuiſſe videatur.

O fa-

(a) *Suavitatis forma ſeu figura.* (b) *lib. 1. Offic.*

O faciem pulchram! deleo dehinc omnes ex animo volucres
Tædet harum cotidianarum formarum. (a)

Ulula mea meos oculos habet in ſe converſos, jucundum meum ſpectaculum, meus amor, amæniſſimæ meæ deliciæ.

Sed quid de me loquor? Nemo ex Ululantibus eam vidit unquam, quin pervidere voluerit; nemo oculos in eam intendit, niſi magis intendere geſtiat, ut, velit, nolit, aliorſum deflectere lumen & ab illa deſiſtere nequeat, niſi prius expreſſam ejus imaginem in mente ſua formarit. Tam fuit ei, non dicam jam Minerva amplius, ſed Venus ipſa propitia, ut gratiæ ſuæ ſuavitatem etiam ad Non-Ululantes tranſmittat, & ubique repræſentetur, plureſque fortaſſe depictæ quam veræ inveniantur.

Nam

(a) *Alluſum ad illud Chæreæ Terentiani in Eunucho.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Nam ut à libris, Sapientiæ inſtrumentis, exempla deſumamus, ſi qua pictura vacuam paginam replet, nulla frequentior Ulula eſt; imò in ipſis literis majoribus, quas Capitales dicunt, Ulula impreſſa eſt, quam illic caput exerentem videtis. Sæpè etiam binas aut ternas, ut ſorores, uni eidemque literæ inſculptas cernitis, quaſi una abſque ſocia jucundam ibi ſedem non habeat, aut ad riſum lectori non ſufficiat. Ut nunc omittam Typographos Genevenſes è familia *Choüet*, qui Ululam pro inſigni libris ſuis præponunt, hoc circumſcripto ſymbolo

In Nocte Consilium.

Jam verò ſi ædes inſpiciamus, & habitacula, per quæ homines diem vident, etiam Ululas vident, & plena ſunt ipſa vitra & feneſtræ Ululis depictis, ſi non omnia, ſaltem pleraque; de quibus dubitetis, Patres, an hæ picturæ intra an extra domum ſint. Pellucent enim & utrobivis imaginem ſuam repræſentant, ſive domi ſive foris

ris ſteteritis, non aliter quàm Janus Bifrons ſimul πρόσσω καὶ ὀπίσσω videt. (a)

Annon autem juxta Flaccum

Ficta voluptatis cauſſa ſunt proxima veris,

Imò, ſecundum ipſius Philoſophi ſententiam, *idem ſit motus in imaginem, in quantum eſt imago, & in rem.* (b)

Quod ſi caſtitas Ululina permitteret, id exemplo probarem Ixionis, qui permittente Jove cum effigie Junonis egit, quod Jupiter cum Junone agit. (c) Ita nimirum

—— *Trahit ſua quemque voluptas*

& Ulula omnes: ita ut nihil prorſus jucundum videatur, quod lepôre & ſuaviludio hujus noſtræ non ſit conditum.

Sed & columnis, tam lapideis, quam ligneis, Capituli vice imponuntur Ululæ, cujus inſtituti nullam aliam ratio-

(a) *à fronte & à tergo.* (b) *lib. de memor. & reminiſ.* (c) *Vide Lucian. in dial. Iunonis & Iovis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

rationem afferre poſſumus, quàm ſolam oculorum oblectationem, niſi quod ſpectaculo volucres allicere, aut veſpertiliones abigere debeat.

Ad ſummam, omnia cælata, ficta, pictaque penicillo & acu, ſculpta & impreſſa, quin & opere Phrygio contexta & contortuplicata nullius ſunt æſtimationis, ſi Ululinis figuris non abundent.

Quæ tamen nulli rei niſi puræ putæ delectationi conducunt, adeò ut etiam Amſtelodami foribus latrinæ appicta videatur cum fiſtula Tabaci. Neque minus hoc illam dedecorat, quàm quod Luſitaniæ Rex effigiem Regis Caſtiliæ ad foricam dejecit, qui tamen nihilominus manet terror Europæ, Turca Chriſtianus, Tamerlanus Catholicus, & ſi quid magis Monarchicum in illum dici poteſt.

At incidit hic dignus vindice nodus. An Ulularum quoque figura in Judæorum olim velis & picturis obtinuerit? Et ſi minus, quæ ejus rei cauſſa?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Quod equidem nec in Miſnajoth, nec in Gemara legiſſe me hactenus memini. Sed cum Religio non ſuavitatis aut jucunditatis cauſſa, ſed horroris & tremoris ſit materia, avem tam ſuavem & jucundam intertexere nefas fuit. Quid quod uſus ejus immundus in V. T. fuerit? (*a*) Quod diſcrimen cum apud nos exoleverit, omniaque munda mundis pronuncientur (b) ipſa jam munda, & puritatis jucundiſſima figura eſt, neque in feneſtris & laquearibus Templorum modo viſitur, ſed & in ſacris quoque inſtrumentis ornatus cauſſa exprimitur. Quo nomine in Hieroglyphicorum Catalogum non inconcinnè referri poſſet.

Ad ludicra tamen frequentius adhibetur. Quæ tamen ita nunc, Patres, veſtra cauſſa temperanda ſunt, ne, qua eſtis lienis petulantia, per riſum multum periclitemini. Memini, me vidiſſe vetuſtam & venuſtam quandam tubellam,

(a) *Levit.* 11, *v.* 16, 17. (b) *Tit.* 1. *v.* 15.

in qua Ulula aſſidebat rhombo & fila ducens nebat more fœminarum. Aſtabat quidam (è veſtro puto genere) una manu candelam tenens, altera murem oſtentans, & inclinato capite rhythmis eam Weſtphalicis ſalutabat. (*a*) Suaviter per aliquod tempus iſto ſpectaculo afficiebar, & parum aberat, quin induſium illud, quod ex iſtis filis texendum eſſet, mihi optaſſem: quod mihi carius fuiſſet, quam illud quod Sardanapalus inter ſcortorum greges nevit, aut Hercules apud Omphalen. Neque vos Ululam neviſſe miremini: Minervæ ales eſt. Quicunque ergo in poſterum eam viſurus eſt nentem, vel in propria perſona, vel ejus ſpeciem,

Sive levi teretem verſantis pollice fuſum,
Seu pingentis acu, ſciat hanc à Pallade doctam. (*b*)

Quod

(a) Daer ſat ein Vul und ſpan. &c.
(b) *Ovid. lib. 6. Metam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Quod cum Arachne nunquam negabit noſtra.

Oportet autem facetam & mire lepidam eſſe avem, quàm Athenienſes olim in ſacris & ſaccis ſuis habuerunt. Atq; hæc eadẽ cauſſa me movit, ut hoc ULULÆ ENCOMIUM forma hac portatili & commoda excudi curaverim, ut & vos omnes, quotquot eſtis Patroni Ululantes, in ſaccis veſtris deinceps circumferre poſſitis, & tanquam aliquod VADE MECUM domi militiæque præſto habeatis.

Sed ecce, ne luſus quoque ævi noſtri prætereamus, hic etiam Ulula jucundiſſima eſt. Quippe novum genus luſus nuper in honorem ejus excogitatum eſt. Non enim ſatis erat habere ludum *Anſerinum* ac *Serpentinum*, niſi eadem quoque forma acceſſiſſet *Ululinum*, in quo tribus teſſeris ſimul luditur, cum in prioribus duabus ſatisfiat. Quis autem hominum aut Deorum in noſtras terras hunc ludum invexit? Nam *Anſerinum* ex Italia; *Serpentinum*

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ex Ægypto majores veſtri attulerunt. E Græcia nobis *Ululınum* quis addu-xit? Undecunque venerit, laboris certè dulce lenimen eſt, & helluo temporis, quod venuſtiſſima noſtra beſtiola luſum proprium ſibique dicatum habeat, quo forum aleatorium calefiat.

Ita nunc cum amentibus (ſed amantibus dicere volui) eundem ludimus ludum, quorum *ſua cuique Ulula eſt columba* (a), ut vetus habet proverbium. Sic paſſim Ulula noſtra efficit, ut cum gratiæ cauſſa nihil faciat, omnia tamen grata ſint, quæ facit.

Neque hoc tranſiliendum arbitror, quod Plinius noſter narrat, quod ſit *avis paraſita, & quodam genere ſaltatrix.* (*b*) Si Paraſita, utique omnibus jocis & ineptiis inſtructa, atque ad ſingula temporum locorumque intervalla accommodis & ludicris geſticulationibus faceta ac feſtiva. Saltatio verò

(a) Elck meynt dat zijn Uyltjen een Duyfien is. (b) *lib.* 10. *cap.* 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Saltatio verò inter reliquos ludos non familiam ſed choreas ducit, cum *multarum deliciarum comes ſit extrema ſaltatio*, vel ipſo Cicerone teſte. Hinc verò nomine luxuriæ eam traduci cum Muræna, aut inſaniæ, neutiquam patiar. Saltationem enim à natura habet, ad quam non docta ſed facta, non inſtituta ſed imbuta eſt. *Ambulare* enim eam *difficulter* (in conviviis præſertim) *ob curvitatem unguium* hiſtoricus noſter aſſerit, (*a*) ideoque interdum cum pica ſaltare cogitur.

Dignum profectò exercitium quod plures æmulatores habeat. Nam quæ nova nunc ſuperſtitio inceſſit hominum genus, ut tam libere jam non ſaltent. Muſæ enim ipſæ apud Heſiodum (*b*) & Anacreontem animi gratia ſaltaſſe leguntur:

> Καλλίκομαι κοῦραι Διὸς ὀρχήσαντ'
> ἐλαφρῶς. (*c*)

(a) *lib.* 10. *c.* 19. (b) *Theog. in princ.* (c) Pulchri-comæ filiæ ovis ſaltarunt leviter.

Et quidni ſaltet etiam Jupiter otioſu
ſicut ſaltat hæc noſtra? Si fides haben
da ſit Græculis,

—— ὀρχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶν τ
θεῶν τε. (a)

Apud Homerum ſaltationes, ut &
Muſica conviviorum fuerunt appendi
dices. Ita apud Phæacenſes fatetu
Rex Alcinous in uſu fuiſſe ejuſmod
choreas in conviviis. Quin ipſe U
lyſſes toties à prudentia laudatus, re
verſus ſaltationes inſtituit domi, ut pu
tarint nuptias eſſe in aula Penelopes
Et ut exemplum prorſus inculpabil
adducam, Socrates aliquoties exercit
gratia ſaltaſſe dicitur, & ſæpe dicer
ſolitus, παντὸς εἶναι μέρους τὴν ὄρχη
σιν γυμνάσιον. (b) Ariſtophanicus ve
rò chorus lepidè occinit,

Ω ἥδομαι, καὶ τέρπομαι καὶ βού
λομαι χορῆσαι. (c) plan

(a) Saltavit pater hominum & Deorum
(b) *Saltationem eſſe exercitium omni ex part abſolutum.* (c) Saltatione delector, & cupi
& volo ſaltare. Jch ſal tantzen/ Jch muſ
tantzen/ Jch will auch tantzen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

plane ut Chorizantium illa hæreſis ante ſexcentos ferme annos extitit. *(a)* Si igitur tot Principes viri, tot ſapientes, & Dij deæque ſaltarint cum Ulula noſtra, quis eam accuſabit hoc nomine, niſi qui amiculis ſuis invident, ut cum ſene reſtim ſaltent ductantes, aut ut, qui poſſunt, pedibus alternis ſubſequantur, aut qui non poſſunt, uno pede inſtar Empuſæ claudicent?

Agite verò etiam, Patres, ne præcipuam perſonam in hoc dramate omittamus, (ſi unquam fuiſſe creditis) ULENSPIEGELIUM intuemini, *Tilonem* illum *Mollenſem*, πολύτροπον an θαυμάσιον dicam, ad facetias & feſtivitates natum, omniſque leporis promum & condum. Hic unde nomen acceperit, quæro? Nam ter quidem baptizatum aſſerunt, quod bis nimium eſt. Equidem cum magna inter illum & majores veſtros cognatio interceſſerit,

(a) *Anno paulo plus quàm milleſimo ſub Henrico II.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ceſſerit, dubium non eſt, quin ejus nominis originem in Archivis veſtris annotarint. Sed ſi vos tacueritis, Ululæ ipſæ loquentur. Nam ut Muſas ajunt, ſi Latine loqui voluiſſent, Plautino ore fuiſſe loquuturas: (*a*) Sic Ululas, ſi Germanicè loqui voluiſſent, credo hujus hominis ore fuiſſe loquuturas; eo quod in hoc demum Ululina fuerit jucunditas. Et ſi μετεμψύχωσις illa Pythagorica ſit promiſcua inter homines & aves, Ululinam animam in humano corpore vixiſſe credo, atque inde illum nominatum eſſe.

Eccur verò SPECULUM ei additum quæritis? Ob duplicem, videlicet, ſuavitatem: Veram in ipſa ave Ulinam, alteram repræſentativam in homine tanquam in ſpeculo. Credite Patres nullum unquam ſervum in ſcena majores ludos, quam illum in mundo dediſſe. Demea inquit (*b*)

Inſpicere tanquam in ſpeculum in vitas omnium Iubeo,

(a) *Varro.* (b) *Teren. in Adelph.*

Jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.

Irridet ſervus & per μίμησιν addit:

— Tanquam in ſpeculum, in patinas Demea,
Inſpicere jubeo, & moneo quid facto uſus ſit.

Ita hic quoque paſſim omnes habuit, neque ſibi tantum riſus ipſe fuit, ſed quoquo ſe verteret, aliis etiam multijugem voluptatem, jocum, riſum luſumque afferebat, velut in hoc ipſum ſingulari quadam indulgentia terrarum orbi datus, ut omnes exhilararet. Et niſi veritas illi ſubinde odium peperiſſet, verum Pamphilum haberetis. (a)

Sic vita erat, facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cunque una, iis ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, advorſus nemini.

Sed veritas nonnunquam illi obſtitit,

(a) Teren. *Andr.*

quam etiam ſuo velut proprio diverbio *inhoſpitalem* dixit. In cæteris nemini inviſus, nulli moleſtus, omnibus jucundus, comis in quosvis, imò & damnum quandoque inferens, tamen id paſſis in deliciis ſemper habitus. *Scitum hercle hominem qui* etiam *è ſtultis prorſus inſanos facere (a)* poterat; quamvis multum diſſimilis

Pantolabo Scurræ, Nomentanoque nepoti. (b)

Qui niſi terris cum Claudio porrò morari deſiiſſet, omnes credo in jucundæ ſuæ inſaniæ partes traxiſſet.

Sed quid ago? quo progredior?
— *an me quoque ludit amabilis*
Inſania (c) —— —

dum in Locum Communem perſonæ particularis excurro.

Nempe voluptates commendat rarior uſus.

Hæc ergo ſint Patres Noctuini de

Ululæ

(a) *Ter. Eunuch. act.* 2. *ſc.* 2. (b) *Horat* 1. *ſerm: ſat.* 8. (c) *Idem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Ululæ veſtræ *Nomine, Patria, Ortu, Nobilitate, Ingenio, Virtute, Utilitate & Iucunditate*; atque ut ſummatim omnia complectar, VITA & REBUS GESTIS. Proximum eſſet, ut de MORTE ac SEPULTURA ejus nonnihil quoq; in medium proferrem. Sed finis ſit. Neque enim præ lacrymis ejus temporis reminiſci poſſum, Oi! Ei!

Ventum ad ſupremum eſt, Vos, ô Vos ô mihi manes
Eſte boni. (a) ——— —
Sancta ad vos anima, & nullius conſcia culpæ
Deſcendat. (b) ——— —

Neque enim magis ſuum pſittacum Ovidius, paſſerem Catullus, aut Prætor ille cum Lipſio nuper canem deflevit, cum illi ſuper pretioſas exequias Κυνοτάφιον erigeret, quàm ego te, optima volucrum, lugere vellem, ſi tam ambitioſa fores, ut præficam admitte-

(a) *Virgil.* 12. *Æneid.* (b) *ibid.*

res, aut tam miſera, ut mortem timeres. Sed quia tua parum in vita interfuit, humine an ſublimi putreſceres, & nunc quoque tibi ſit

— — facilis jactura ſepulchri,

Crede, noſtra, crede,

— — Capit omnia tellus
Quæ genuit, cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Et ſive ad Elyſios campos proficiſci cogitas ad cætum piarum avium, ſive ad alia ſuperna vel inferna loca, tibi magis, quam mihi nota, tua certè *Animula, vagula, blandula*, ſi me audis, ſurſum tendat ad micantia ſidera, ubi locus tibi dabitur æquè atque aliis. Nam ſi avicularum animæ immortales ſunt, ut Plato fortiter probavit, aut ut Zoroaſter credebat, alatæ, vel denique ut Pythagoras exiſtimabat, in alia corpora migrent, certe repulſam non feres. Et cur repulſam ferres, quæ nihil te indignum admiſiſti? Annon illic habitat in cœlo (quæ Cerberea dignior domo erat) malitioſa & detri-

tri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

trimentoſa illa canicula? Annon illic commoratur tardus Cancer & venenatus ſcorpio? Annon patienter ibi ferunt urſas, capros, leones & ſerpentes? Si aries & Taurus & Capricornus tam liberaliter in cœlum recipiuntur, an tu excludereris?

Quicquid eris nec te Reginam Tartara ſperent,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido. (a)

Jocoſa eſſe pergito, ne quæ hactenus jucunda de te prolata ſunt, triſtes & ferales mortis meditationes interturbent.

Unum hîc quærere magis quàm queri volo. Cur non vivacior aut diuturnior in terris ſit Ulula, cum tam amica ſit Æternitati & Palladi?

Namque Coturnices inter ſua prælia vivunt,
Forſitan & fiunt inde frequente anus.

(a) *Virgil.* 1, *Georg.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Vivit & armiſeræ Cornix inviſa Minervæ
Illa quidem ſæclis vix moritura novem, (a)

Occidit verò contra brevis & ὠκύμορος illa noctua, neque ad Phœnicis ætatem aut Cornicis annos pervenire poteſt. Verùm enimvero, Pax ſit divis manibus! Benè dixit antiquiſſimæ ſapientiæ conſultus Homerus:

——— Τὰ χερείονα νικᾷ (b)

Optima quæque fere manibus rapiuntur avaris.
Implentur numeris deteriora ſuis. (c)

Hanc ergo illi quoque felicitatis partem conceſſam videtis, ut mature ad plures abeat. Sanè nobis non licet eſſe tam beatis, quibus vita ſæpe in pœnam protrahitur: ac ne DIS quidem ob nimiam vivacitatem datum eſt mori ſuo tempore.

Quo

(a) *Ovid. 2. Amor. eleg. 6.* (b) *Deteriora vincunt.* (c) *Ovid lib. 2. Amor. eleg. 6.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Quo vitam Dis *æternam? cur mortis adempta eſt*
Conditio? poſſent multos finire dolores. (a)

Tanto igitur beatior Ulula eſt, quæ cum vivere amplius non poteſt, moritur; & lepidum illum ſpiritum curvo ſuo roſtro emittit, ſine ullis convitiis & maledictis in Fortunam, melius profectò quàm illi,

Queis ante ora Patrum, Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere (b). ——

Atque hæc quidem hactenus, Patres, unde Ululam dignè mecum æſtimare poteſtis. Nam Ululæ digna æſtimatio (teſtor fidem conſciam) cauſſa fuit, quæ me ad ſcribendum compulit. Quam ſi à vobis impetraſſo, næ ego Phœnicem non magis laudaſſe vellem. Pauca quidem protuli, ſed ea ſpero, quantulacunque ſint, æquis Lectoribus ad integram

(a) *Virgil.* 12. *Æneid.* (b) *Idem* 1. *Æneid.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

ejus laudem ſuffectura. Neque enim unius eſt, omnia vidiſſe.

Paucos ſanè hæc avis in his regionibus fautores habet, & quantam quis ei laudem hîc attribuit, tantam ſibi invidiam & maledicentiam conciliat. Quapropter

Virtute eam ambire oportuit, non favitoribus. (a.)

In poſterum

Sat habetis favitorum ſemper, quia rectè facit. (b).

non apud vulgus equidem & ignorantes, ſed viros magnos, vobiſque ſimiles, qui cerebrum geſtant in capite, non in calcaneo. Ars enim non habet oſorem, niſi ignorantem, & *Vulgus ex virtute pauca, ex opinione multa æſtimat* (c). Jam verò, *qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris habendus non eſt* (d).

Itaque ergò

Quam

(a) *Plaut.* (b) *Idem.* (c) *Cic. pro Roſcio* (d) *I. offic.*

Quam vos facillimè agitis, quam eſtis maximè.
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tàm maximè vos æquo animo æqua noſcere
Oportet, ſi vos voltis perhiberi bonos (a).

ULULAM igitur deinceps reverenter habete, & ubi à contemptu vindicaſtis, famam ejus mecum porrò extendite. ANNUITIS? ACCIPIO.

(a) *Teren. Adelp. act. 3. ſc. 5.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

FLORÆ VIDUÆ ORATIO FUNEBRIS IN OBITVM NOCTVÆ

A

JACOBO EYNDIO ab HEMSTEDE

Carmine reddita.

NVnc demum nihil in vita proprium eſſe recordor;
Nos morbi ſiquidem, dubijque per omnia caſus
Carnificesque vorant curæ, triſtiſque ſenectus
Horrificant luctuſq; laboſq; & triſtis egeſtas;
Sed contra, miſeræ pauca, heu, ſolatia vitæ!
Nam plerumque rapit duræ inclementia mortis
Illuſtres animas primò obſcuraſque relinquit.
Ac veluti intereunt ſegetes, frumentaque culmis
In teneris vix nata cadunt, ac ſegnis in arvis
Carduus & lolium & ſteriles dominantur avenę:
Sic gens plena dolis, verique effœta; nec ulli
Vtilis ipſa bono, tantummodo lædere nata
Sæcula Tithoni & Cumæos vivit in annos:
Sed quorum vita eſt & fama dignior ætas,

Eximiæque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Eximiæque ſpei pueros à pectore matrum
Abreptos fert atra dies & funus acerbum.
Nempe id nunc de me experior, cui parva voluptas.
A ſuperis data, dum vidui in ſolamine lecti
Vitalis mihi NOCTVA *erat; cui triſtia vitæ*
Fila, per invidiam, ternæ fregere ſorores.
Non mihi defuncti tam triſtia fata fuere
Conjugis, officio quamvis & rebus agendis
Sit functus benè, nec mecum crudeliter egit.
Noctua, quam meritò cuncti dixere triumphum
Naturæ, DI *te ſtygias nunc ire ſub umbras*
Imperiis egere ſuis, aliaſque tenebras
Quærere, & æternam pennis tranſcurrere noctem.
Lucifugæ at ſtriges & veſpertilio ſtridunt
In tenebris, ululant Vlulæ, raucumque paluſtri
Buteo butit aqua; Te, noctua, voce vocantes
Lugubri, exequiaſque tibi de nocte ferentes.
Nam tu ſorte tua fueras, dum vita manebat,
Alitibus major cunctis: tibi rhetra Lycurgi
Cognita erat, fandique lepos popularis Achivum
Cecropius, variis te dotibus innuba Pallas
Conſpicuam, multaque inſignem fecerat arte.
Præter enim voces & ſibila præter acuta
(Sera ſub obſcurum noctis dum culmine tecti

Prodit

Prodit, & humentes alis tranſverberat umbras)
Huic aliquid volucri proprium decet eſſe putemus.
Sic ſentire jubent, quibus eſt & origo vetuſta
Et quibus eſt virtus, & avis ſapientia nota.
Hæc ſiquidem eſt Doctæ jam prima ab origine mundi
Sacra Deæ, illuſtres Græcorum gloria Athenæ.
Propterea has volucres aluiſſe feruntur Athenæ,
Artium origo, parens doctorum & alumna virorum,
Certe olim certi ſignum indiciumque triumphi
Noctua erat probæ lectæque epigramma monetæ.
Non etiam (Græce ſi fas eſt credere Scenæ)
Augurij levis illa nota eſt, nec vatibus omen
Obſcurum, doctis nec dia incognita lingua.
Quod ſi Democriti cuiquam illa ſcientia detur,
Qua proprias volucrum potuit cognoſcere voces;
Maxima præſagam venturi arcana canentem
Temporis audiret, quemque & ſua fata canentem.
Eloquio Pericles & præpetis omnia pennæ
Noſtræ avis induxit dudum diverſa ſecutos
Ductores petere Ægæi, quas juſſerat, oras.
Iuſtitiæ Martiſque potens cum gente volucrum
Semper bella gerit ſola, & concurrit ad arma;
Sanguine quæ pullos humano nutrit, & ipſas
Ore

Ore ferens carnes in viſcera viſcera condit.
Fallacis quoque gnara meri, quod vertere ſenſus
Et turbare ſolet, nobis ſua porrigit OVA,
Queis vini venis diſcedat diditus ardor,
Luctatur cum lingua & mens oppreſſa Lyæo.
Prodidit & croceis halanti floribus horto
Tutelam Columella, aliquo ſi fragmine muri
Noctua dependens volucres exterreat alis.
Hîc etiam genus, & quæ Nobilitatis origo
Vatibus expediam, longum vulgata per ævum.
Quamvis ipſa Venus tantum non credere flammis
Auſa ſuis, pudeatque nefas authore fateri
Numine; relligio quoque poſtera, ſancte Cupido,
Tela faceſque tuas à crimine vindicat iſto.
Terra procul nigrum colitur, ſub ſidere Cancri
Æthiopum; Rex hic populos NYCTÆVS & urbes
Imperio, blandoque regens moderamine quondam
Continuit: Rex forma ingens, ingentior armis.
Vna hæres tantum ſervabat Filia regnum,
Quæ caſti vetito correpta parentis amore
Non hunc, ut patrem; nec qua debebat, amavit
Filia; ſed patrio circundans brachia collo
Officio furiata ſuo, ſæpè oſcula libans
Tempeſtiva parum, dudum nil tale timentem

Decepit

Decepit falſa pietatis imagine regem.
Hoc magis interea NYCTÆIA *pervi-*
gil igne
Carpitur ipſa ſitiens, ſed ſenſit fida ſenectus
Nutricis deforme ſcelus languentis alumnæ,
Et promiſit opem, poſtquam verba irrita fudit,
Excutere infandum fruſtra conantia morbum,
Omniaque explerans, tandem malè ſedula cu-
ſtos,
Nacta gravem vino eſt Nyctæum, exponit a-
mores,
Tum faciem & primos maturæ virginis annos
Laudat, & illuſtrem ſuppreſſo nomine ſtirpem.
Quam (nec enim faciem Princeps nec nomina
norat)
Poſtquam intempeſta juſſa eſt adducere nocte,
Inceſto pater excepit ſua viſcera lecto.
Poſt aliquot noctes avidus cognoſcere amicam
Nyctæus vidit gnatam obſcænoſque hymenæos;
Vidit, & exſanguis viſu vox faucibus hæſit.
Sed fidum, capitis fulcro qui forte latebat.
Eripuit gladium, trepidanti fervidus inſtans.
Illa volat; vix prima ſolum veſtigia ſignant,
Quo curſum fortuna regit: ſed munere noctis
Atque Deæ auxilio, ſortem miſerantis iniquam
Virginis intercepta neci eſt; poſuitque puellæ
Effigiem, & ſenſim tentantibus ardua pen-
nis,
Aëre ſublata eſt, proprijs exterrita plumis.

Nunc

Nunc quoque, ſe patrium memorans temeraſſe cubile
Conſpectum, ſocioſque fugit, lucemque peroſa eſt.
Sed quam te video, mea Noctua, tune ſenectæ
Vna meæ requies, mea ſera & ſola voluptas?
Quò ſequar? aut cur me potuiſti linquere ſolam?
Nunquam ego non ſoleo menſas onerare volucrum
Magnarum ſpoliis, defunctaque corpora vita
Igni curabam exiguo properata maderent,
Venatu tecum prædam ſortita recentem.
Propterea non immeritis ululatibus omnem
Impleo conceſſum cavæ & mea pectora plango
Triſtis & (heu! fruſtra) ſomnus te deſerat opto
Ferreus, æternanque relinquant lumina noctem.
Tu cadis ante diem, parvo lætabilis ævo;
At Corvus, vulturque & multis graculus annis
Ore vocans pluviam, ducenſque per aëra prædam
Milvius, atque ipſi Cornix inviſa Minervæ
Plurima & ingluvie fœta explent ſecula rixa.
Non doleam, mihi criſtatus ſi exercitus omnis
Intereat; qui languiduli reſerare cubile
Nuntiat auroram Tithoni & ſomnia ſolvit;
Vel mihi bis deni qui circum paſcua læta
Dulcibus in ſtagnis rimantur pabula cygni:

Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Tu modo ſi ſtygiis poſſis revocata tenebris
Lumen ad æthereum & ſuperas remeare ſub auras.
Vincebas placida tu ſimplicitate columbas:
Cedebat tibi diſtinctis Iunonia pennis
Ales, quanquam illi ſtellantibus ardua gemmis
Cauda ſit, atque oculis Argi circundata centum.
Accipiter volucres, rapto qui vivit, & omnes
Terret aves, tibi magnanimo certamine ceſſit.
Præpes adunca Iovis tam Iuſto invidit honori
Turbida, &. attonitis jaculata eſt fulmina terris.
Carminibus tecum voluit contendere, & oris
Victa ſono, tacet æternum Pandione nata:
Scilicet & cantus venere ad præmia tecum
Cygni Mæonias celebrantes funere ripas,
Sed victi in veſtro manes petiere triumpho.
Quare agedum, vos clara polo, vos ſidera teſtor,
Huic locus aſtrifera ut pateat regione volucri,
Hic ubi Phæbeus ſignorum ſe explicat ordo.
Icarius placido ſi præbet lumina Cœlo
Seirius, in terris quondam Canis, & loca Cancer
Ætheris alta tenet fulgore notabilis ipſo,
Et teſtudineo inceſſu non dignior aſtris?
Si cui Lernæis cauda eſt armata venenis
Scorpius in cœli juſta plus parte relucet
Clarus, circui tu curvans ſua brachia magno:

Cur-

Cur non mitis avis, quæque arte eſt noxia nulla
Noctua vobiſcum cœli ſolia aurea luſtret?
Si vobis Vrſæ, Capræ, ſævique Leones
Accepti; cur manſuetæ non ulla volucri
Pars pateat cœli? Si magnæ denique molis
Arietibus, Capricorno & Tauro, cornibus annum
Qui vere auratis aperit, ſua ſemita detur
Qua currant; quid avi parvæ via parva negatur?
Si Iovis officio Cynoſura, & ſi ubere Capra;
Cygnus adulterio; ſpolio Leo, caſpide Chiron
Intravere polum; ſuperi ſpatia avia mundi
Ingenio & pietate mea eſt meritura volucris.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Noctua blanda vale, dul-
ceſque valete Patroni:
Magnus honor vobis
contribuendus erat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Corrigenda.

PAg. 12. lin. 5. lege. *celeberrimæ*, p. 28. l. 1. l. *Creſcentius* 43. 8. *inſculptus*. 46. 10. *aut* 47. ult. progigni. 67. 14. *aſſuetæ* 78. 16. *Faſtis*. 94. 2. *Nox*. 123. 17. *utut*. 143. 1. *noctuino* 145. 18. *bibuntvè* 147. 14. *noctuini*. 149. 6. *in Curioſa*. 167. 21. *ſtri-detque* 169. 2. *noſtrum* 178. 19. *Tamerlanes*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36

f:16:-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 36